(*Je.*) 6 d. Fer. 3. *Vigilia Ordin. S. Ambrosii.* Offic. fit de S. Nicolao Ep. et Conf. (bianco). Missæ de Vigil. cum commem. S. Nicolai in iis quoq. Conv. post Non. (morello). Vesp. 1 sol. de S. seq. (bianco), *quæ a Clero Metrop. prævia Supplic. pontif. ritu cum Vigil. canunt. in Basil. Ambros.* Compl. sine precib.

✠ 7 e. Fer. 4. *Ordinatio S. Ambrosii Ep. Med. et Conf. ac Doct., Patroni Urbis, Diœces. ac Provinc. Mediol.* sol. (bianco). Ad Primam et Compl. non dicunt. preces. *Reliq. S. Ambros. exponunt. in Metrop., ejusq. Clerus supplicab. proced. ad Basil. Ambros., sub cuj. Ara maxima quiescit Corpus S. Præsulis, et in qua Indulg. Plenar. perp., ibiq. canit. Missa Pontif. cum oblat. Civit.* Vesp. 2 de ead. Ordin., *Pontif. in Metropol.*, cum commem. seq. Concept. nec non S. Zenonis Ep. et M.

Jejun. hujus Fer. 4 Adv. ob Festum patron. S. Ambrosii ex legit. disp. hoc anno vacat.

Hodie in omnibus Ecclesiis Urbis et Diœc. quicumq. confessi sacram Euchar. sumpserint lucrant. Indulg. Plen. a Gregorio XIII perp. concess. sub die 10 *April.* 1580.

Item hodie non potest cani Missa de Req., *etiam præs. cadav.*

✠ 8 f. Fer. 5. *Immaculata Conceptio B. M. V.* sol. (bianco) cum commem. in Laud. et Miss. quoq. Conv. S. Zenonis Ep. et M. Prima et Complet. sine precib. Vesp. 2 de ead.

(*Je.*) 9 g. Fer. 6 *privileg.* Jejun. Feriæ 6 Advent. De ea (morello) sine Laud. et Vesp. Deff. Missa de Dom. præced. post Non.

10 A. Sabb. *privileg.* De eo (morello) sine Laud. Deff. Missæ ut heri cum commem. in Missis etiam Conv. post Non. S. Melchiadis Pap. et M., nec non B. M. V. de Missa Advent. (morello). Vesp. 1 sol. de Sabb. Advent. Vesp. h. 1, h. 3.

✠ 11 b. *Dom. 3 Advent.* De ea (morello). *Denunc. Quat. Temp. et Orat. pro Ordinand. faciendæ.* In Vesp. commem. S. seq.

12 c. Fer. 2. S. Joseph Sponsi B. M. V. Conf. sol. (bianco). Ad Matut. Dec. *Nonne Deo.* In Vesp. 2 commem. S. seq.

13 d. Fer. 3. S. Luciæ Virg. et M. sol. (rosso), *cuj. Reliq. exponunt. hodie in Metropol.* In Vesp. 2 commem. S. Syri Ep. et Conf., et S. Matroniani Conf. seq.

(*Je.*) 14 e. Fer. 4 *Quat. Tempor.* S. Syri Episc. et Conf., *privil.*, (bianco)

cum commem. in Laud. et Miss. quoq. Conv. S. Matroniani Erem. et Conf. Vesp. de Feria Advent. cum Vesp. Deff.

15 f. Fer. 5. De ea (morello), cum Laud. et Vesp. Deff. Miss. de Dom. præced., Conv. post Non.

☞ **Hodie in Sacello Archiepiscopali erit Congreg. generalis Cleri urb. hora 12 1/2.**

(*Je.*) 16. g. Fer. 6 *Quat. Tempor.* et *privil.* Offic. de hac Fer. (morello) sine Offic. Deff. Miss. de Dom. præced., Conv. post Non.

(*Je.*) 17 A. Sabb. *Quat. Tempor.* et *privileg.* Offic. de hoc Sabb. (morello) sine Laud. Deff. Missa ut heri, addita tamen, etiam in Conv. post Non., commem. B. M. V. de Temp. Adventus. *In Metropol. Missa Pontif.* absque commem. *cum sacra gener. Ordinat. Sacra param. Ordinandorum ad sacros Ordines sint coloris albi.* Vesp. 1 sol. de Annunciat. B. M. V. seu Incarnat. D. N. J. C. (bianco). Complet. sine precib.

✠ 18 b. *Dom.* 6 *Advent.*, in qua celebrat. Offic. Incarn. D. N. J. C. Sol. Dom. (bianco). *Promulg. Edict. de cultu dier. Fest., item Decret. Synod.* 35 *de rever. et modest. in Eccles. servanda. Item public. Jejunium Feriarum* 4 *et* 6 *Advent. et Vigiliæ Nativit. Domini.* Vesp. 2 de eadem.

19 c. Fer. 2 *De exceptato.* De ea (morello) sine Offic. Deff., quod omitt. per totam Hebdom. Post Tertiam hodie et biduo seq. recitant Litan. cum Antiph. et Orat., ut in Breviar. Missa de propr., Conv. post Non.

20 d. Fer. 3. *De exceptato* (morello). Miss. de propr.

(*Je.*) 21 e. Fer. 4. *De except.* Jejun. Fer. 4. Adv. (morello). Missa de propr., Conv. post Non.

22 f. Fer. 5. *De except.* De ea (morello). Missæ de Dom. præced, cujus Ingressa *Credite Salvatorem*, Conv. post Nonam.

(*Je.*) 23 g. Fer. 6. *De except.* De ea (morello). Missæ ut heri. *Jejun.* Fer. 6 Adv.

(*Je.*) 24 A. Sabb. *Vigilia Nativitat. D. N. J. C.* Offic. et Missæ etiam priv. de hac Vigil. (bianco). Ad Matut. *Psall.* de Sabb. Hebdom. 1. *Hodie a venerab. Parochis Urbis et Diœces. aspergunt. domus aqua benedicta, adhibit. stola col. albi et Benedictione, ut in Rituali.* Ante prand. Vesp. 1 solemn. de seq. Nativ. Domini, inter quas canit. Miss. Convent. de Vigil., præviis *Lectionib. Psalmell. et Oration.*, ut in calce Missal., *quæ omnia in Metrop. sunt Pontific.* Compl. sine precib., in cujus fine *Antiph.* Alma Redemptoris.

✠ 25 b. *Dom.* De qua nihil. *Nativ. D. N. J. C.*, de qua fit Offic. Sol. Dom. (bianco). Missæ tres a sing. Sacerd. Si quis vero unam tant. celebr. voluerit. tertiam celebr. *Sacerdos in I et II Missa purificet digitos in alio calice aut vase decenti; dicat consuetas orationes* Quod ore sumpsimus, *etc., et* Confirma hoc, Deus; *neque sumat purificationem nisi in III Missa tantum. Caveat igitur ne in I et II Missa calici imponat purificatorium post Com-*

munionem, neque in II et III ante Hostiæ oblationem calicem detergat aut deponat extra corporale, nisi saltem supposita palla, ob reverentiam reliquiis sacrarum specierum debitam. Hæ Missæ in Metrop. sunt Pontif., ibiq. Indulg. Plen. perpet. Post Vesp. 2 de Nativ., *Pontif. in Metropol.*, canunt. Vesp. 1 sol. de S. Stephano Protomart. seq. cum commem. omnium Ss. Mm. (rosso).
Hodie ex Decr. S. R. C. prohibent. Missæ in Oratoriis privatis, nec potest cani Missa de Req., *etiam præs. cadav., et infra Octav. prohibent. Missæ de* Requiem *in anniv. Deff.*

✠ 26 c. Fer. 2. *S. Stephani Levitæ et Protom.* sol. (rosso) cum commem. in Laud. ac Miss. quoq. Conv. Oct. et omnium Ss. Mm. *Reliquiæ insig. S. Stephani exponunt. in Metrop., cujus Clerus supplic. procedit ad Basil. ejusd. Protomart., ibique canit. Missa Pontif. sine commem. Octavæ,* Vesp. duæ sol., primæ de Nativ. seu Oct., secundæ de S. Joanne seq. cum commem. S. Steph. et omnium Ss. Mm. (bianco).

[✝] 27 d. Fer. 3. S. Joannis Apost. et Evang. sol. (bianco) cum commem. in Laud. ac Miss. quoq. Conv. Oct. Vesp. 1 sol. de Ss. seq. (rosso) cum commem. Oct. et S. præced. *At in Metrop. et Eccles. in quibus Reliquiæ insign. Ss. Innocentum asservantur, dicunt. Vesp. 1 solemn., quarum Lucernar.* Signatum est, *etc.*

28 e. Fer. 4. SS. Innocentum Mm. sol. (rosso) cum commem. in Laud. ac Miss. quoq. Conv. Oct. *In Metrop. exponuntur Reliquiæ Ss. Innocentum, ibique et in supradict. Eccles.* Vesp. 2 de iisdem cum commem. Octav. et Sancti seq. *Alibi* vero Vesp. sol. mixtæ de Octava et Sancto seq. cum commem. SS. præced. (rosso).

29 f. Fer. 5. S. Thomæ Cantuar. Ep. et M. sol. (rosso) cum commem. Oct. in Laud. ac Miss. etiam Conv. Vesp. sol. mixtæ de Oct. et S. Eugenio cum commem. S. præced. (bianco).

30 g. Fer. 6. S. Eugenii Ep. et Conf., *ad Basil. Reg.* At Offic. de Oct. Nativit. Solemn. Dom. (bianco) cum commem. in Laud. ac Miss. quoq. Conv. S. Eugenii. Vesp. sol. mixtæ de Oct. et S. Silvestro Pap. et Conf. seq.

[✝] 31 A. Sabb. S. Silvestri Pap. et Conf. Offic. tamen de Oct. Nativit. Solemn. Dom. (bianco) cum commem. in Laud. ac Miss. etiam Conv. S. Silvestri. Vesp. 1 sol. de seq. Circumcisione Dom., *Pontif. in Metrop.* (rosso).

Littera Martyrologii anni seq. 1865 erit *c minusc.*

LAUS DEO,

B. M. V. ac Ss. Ambrosio, Protasio et Gervasio Patronis,
Barnabæ et Carolo Protectoribus,
nec non omnibus Sanctis.

REDEGIT P. J. B. GERMANI, *Sacr. Cærem. Metrop. Magister.*

TABULA ORTUS SOLIS, etc.,

pro utentibus horologio italico, recens emendata ad altitudinem poli gr. 45° 25' pro horologio campanam seu sphæram habente, non pro solari, data crepusculis vespertinis semihora tantum.

Init. aur. Q. H.	Dies mens.	Mensis	Dies mens.	Ortus solis H. Q.	Merid. H. Q.	Mat. priv. H. Q.	Med. nox H. Q.	Dies mens.	Mensis	Dies mens.	Init. a ur. H. Q.
		December.	25	15	19 1	21 2	7 1	19	*December.*		
								3		14	13
13	1	*Januarius.*	9	14 3					*November.*		
12 3	14		17	14 2	19	21 1	7	24		28	12 3
12 2	22		24	14 1				17		21	12 2
12 1	30		30	14	18 3		6 3	11		13	12 1
								6		7	12
12	5	*Februarius.*	5	13 3			6 2	1		1	11 3
11 3	11		10	13 2	18 2	21					
11 2	16		15	13 1				26	*October.*	26	11 2
11 1	21		20	13	18 1		6 1	21		21	11 1
11	26		25	12 3				17		16	11
					18	20 3	6	12		11	10 3
10 3	2	*Martius.*	1	12 2				7		7	10 2
10 2	7		6	12 1	17 3		5 3	2		2	10 1
10 1	12		11	12							
10	17		16	11 3	17 2	20 2	5 2	27	*September.*	28	10
9 3	21		20	11 2				23		23	9 3
9 2	25		25	11 1	17 1		5 1	18		18	9 2
9 1	30		30	11				13		14	9 1
								9		10	9
9	3	*Aprilis.*	3	10 3						3	8 3
8 3	7		8	10 2	17	20 1	5	4		1	8 2
8 2	12										
8 1	17		13	10 1				30	*Augustus.*	28	8 1
8	21		18	10	16 3		4 3	25		23	8
7 3	25		23	9 3				19		19	7 3
7 2	29		29	9 2	16 2	20	4 2	14		14	7 2
								9		10	7 1
7 1	4	*Majus.*	4	9 1						6	7
7	8		10	9	16 1		4 1	3		1	6 3
6 3	12										
6 2	17		16	8 3				28	*Julius.*	28	6 2
6 1	22		23	8 2	16	19 3	4	21		23	6 1
6	27									18	6
								11		11	5 3
5 3	3	*Jun.*	1	8 1							
5 2	10		19	8	15 3		3 3				

TABULA ORTUS ET OCCASUS SOLIS, etc.,

juxta horolog. europ. ad altitudinem poli gr. 45° 28'.

Mensis	Dies mensis	*Initium auroræ H.	Q.	Ortus solis H.	Q.	Ave Mar. matut. H.	Q.	Matut. priv. seq. diei H.	Q.	Occas. solis H.	Q.	Ave Mar. vespert. H.	Q.	Dies mensis	Mensis
Dec.	21	5	3	7	3	6	3	2	1	4	1	5	0	21	Decemb.
	27	5	3	7	3	6	3	2	1	4	1	5	0	13	
Januarius.	2	5	3	7	3	6	3	2	1	4	1	5	0	7	
	8	5	3	7	2	6	3	2	1	4	2	5	0	1	
	14	5	3	7	2	6	3	2	1	4	2	5	0	25	November.
	18	5	2	7	2	6	3	2	1	4	2	5	1	21	
	26	5	2	7	1	6	2	2	2	4	3	5	1	13	
Februarius.	2	5	2	7	1	6	2	2	2	4	3	5	2	7	
	8	5	1	7	0	6	2	2	2	5	0	5	2	1	
	14	5	1	6	3	6	1	2	3	5	1	5	3	26	October.
	18	5	0	6	3	6	1	2	3	5	1	5	3	22	
	26	5	0	6	2	6	1	2	3	5	2	6	0	13	
Martius.	4	4	3	6	1	6	0	2	3	5	3	6	1	7	
	10	4	2	6	1	6	0	3	0	5	3	6	2	1	
	16	4	2	6	0	5	3	3	0	6	0	6	2	25	September.
	22	4	1	6	0	5	3	3	0	6	0	6	3	19	
	28	4	0	5	3	5	2	3	1	6	1	6	3	13	
Aprilis.	3	3	3	5	2	5	2	3	1	6	2	7	0	7	
	9	3	2	5	2	5	2	3	1	6	2	7	1	1	
	15	3	2	5	1	5	1	3	2	6	3	7	1	26	Augustus.
	21	3	1	5	0	5	1	3	2	7	0	7	2	20	
	27	3	0	5	0	5	1	3	2	7	0	7	3	14	
Majus.	3	2	3	4	3	5	0	3	2	7	1	7	3	8	
	9	2	2	4	3	5	0	3	3	7	1	8	0	2	
	15	2	1	4	2	5	0	3	3	7	2	8	0	27	Julius.
	21	2	1	4	2	5	0	3	3	7	2	8	1	21	
	25	2	0	4	2	5	0	3	3	7	2	8	1	15	
Junius.	2	1	3	4	1	4	3	4	0	7	3	8	2	9	
	11	1	3	4	1	4	3	4	0	7	3	8	2	1	
	14	1	2	4	1	4	3	4	0	7	3	8	3	27	Jun.
	21	1	2	4	1	4	3	4	0	7	3	8	3	21	

752

MONITUM

Sacræ Cleri Congregationes, quæ Ecclesiasticæ disciplinæ vita sunt et tutamen, nullatenus tam utilem scopum assequi possunt, nisi totius Cleri interventu et actione foveantur. Quapropter, instantes Sancti Caroli institutionibus (*Synod. Diœces. II, Decr. XXIV*), declaramus interventum ad sacras Cleri Congregationes munus esse et obligationem omnium cujuscumque gradus Sacerdotum qui non sint legitime impediti, et eorum potissime qui in animarum curam electi sunt. Hinc præsenti Decreto decernimus ut deinceps quicumque ad ecclesiastica beneficia concurrere voluerint, una cum reliquis de praxi documentis, proferant etiam testimonium a Directore propriæ Congregationis exaratum, quo constet eos frequenti et activa præsentia sacris Cleri Congregationibus interfuisse.

Datum Mediolani, die 14 Augusti 1861.

† C. CACCIA EP. FAMAUG. *Vic. Gen. Cap.*

QUÆSTIONES
IN CONGREGATIONIBUS URBANIS
PROPONENDÆ
Anno Domini 1864

MENSE JANUARIO.

I. In Congregatione ad S. Stephanum, die 14, feria 5 (1).

Ex Theologia Dogmatica. — De fide ne est, Angelos, qui Deo, ut ait S. Thomas, assimilantur quatenus est purus spiritus, existere? Quod vero docet catholica fides, constat ne etiam tum ex verbo Dei scripto et tradito, tum ex ipsa Græcorum, Parsorum et Indorum theologia? (V. Justinum M., *orat.* 4. — Clementem Alexand., *Stromat.*, c. 1 et 5. — Petavium, *de Ang.*, lib. 1, c. 1. — Baltum, *Difesa de' Ss. Padri.* — Du Perron d'Anquetil, *Cosmogonia de' Parsi,* etc.)

Ex Theologia Morali. — Titius matrem suam domo profugam, et tum fama, tum paupertate abjectam, nondum tamen resipiscentem, neque salutat in via, neque ullo subsidio adjuvat; quæritur utrum peccet in IV.^{m} Decalogi præceptum, et utrum ad aliquid teneatur?

(D. Ligor. — Bonac. — Filliuc. — Gury et alii de hoc præcepto.)

Ex Jure Ecclesiastico (2). — Variis nominibus, quibus Episcopi designantur, non una eademque significatio subest; dicti sunt enim Angeli Ecclesiæ, Vicarii Christi, Patres Patrum, Præsules, Præfecti, Ecclesiæ sacerdotum populique Principes, etc. Ne una quidem eademque potestate semper usi sunt; nam canones modo ampliorem, modo restrictiorem eos auctoritatem habuisse sat aperte tradunt. Quæritur proinde in quo stet episcopatus essentia et natura.

---

(1) Hora Congregationum est *media* post meridiem, nisi aliter adnotetur.

(2) Ut nonnullorum vota impleantur quæstiones ex Jure Ecclesiastico propositas referri ad primum librum Decretalium et priora Decretorum capita, quæ *de reformatione* inscribuntur in sess. V, VI, XIII, XIV, XXIII, XXIV, XXV Tridentinæ Synodi, ac consuli posse *Institutiones juris publici et privati*, auctore Card. Soglia, brevi forma ac methodo scholastica editæ, ampliores vero notiones exhibere Bouix (*Institutiones juris canonici:* Tract. De Episcopo), nec non peritissimos juris ecclesiastici interpretes Fagnanum (Commentaria in quinque libros Decretalium) et Reiffenstuel (*Jus canonicum universum*), qui libros Decretalium per titulos sunt secuti.

II. In Congregatione ad S. Laurentium, die 21, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quomodo definitur Angelus et an de fide sit, ipsum esse substantiam nedum spiritualem, verum etiam omnis corporis, aerei licet et subtilis, expertem? (V. Conc. Lateranense, 4. — S. Thomam, par. 1, q. 50. — Suarezium, *de Ang.*, lib. 1, c. 5. — Petavium, lib. 1, c. 3.)

Ex Theologia Morali. — Quidam filiusfamilias sacramentaliter confitetur se nomen sponte dedisse militiæ vel regulari, vel voluntariæ, invitis aut inconsultis parentibus; quæritur 1.° utrum, et in quantum peccaverit; 2.° quando absolvi possit?

(Auctores jam supra allati, nec non Scavini De Oblig.)

Ex Jure Ecclesiastico. — Præcellentia et dignitas, quæ inter Episcopos jurisdictione exurgit, ita ut sint alii aliis subjecti, estne juris divini an humani? Prisca vero Metropolitarum potestas potuitne per supremam Ecclesiæ auctoritatem immutari atque minui? Denique quænam sunt jura eminentiora, quibus nunc temporis Metropolitæ tum in suffraganeos, tum in suffraganeorum subditos et diœceses gaudent?

III. In Congregatione ad S. Mariam Montis Karmeli, die 28, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Utrum Angelus verum corpus, non apparens, interdum assumat et undenam? Quænam vero inter Angelum assumentem et corpus assumptum sive adscititium relatio intercedit? (V. S. August., *de Civit. Dei*, lib. 21. — S. Th., p. 1, q. 51 et 115. — Suarezium, lib. 4, *de Ang.*, c. 38.)

Ex Theologia Morali. — Vir quidam, conjuge reluctante, filiam, quam ex adulterio habuit, Locis Piis exposuit; inde tamen, taxa soluta, deduxit; eamque postea, ut ipse ait, nimiæ pietati studentem, et religionem in aliquo monasterio enixe profiteri cupientem, libris, ephemeridibusque impiis ita paullatim corrumpit ut tandem, vitiis omnibus obruta, in prostitutionem, non inscio patre, filia se immittat. Quæritur 1.° an conjux adulter munus suum erga filiam lædat eam exponendo Piis Locis; et utrum facti pœnitens a simplici confessario possit absolvi; 2.° quid dicendum de altero conjuge reluctante contra expositionem; an scilicet per hanc tantum animi dispositionem vitet reservationem; 3.° an impius conjux excommunicationem incurrat latam in eos, qui impediunt, quominus filia velum accipiat; 4.° denique utrum idem conjux in reservationem inciderit contra parentes, qui filiam prostituerint?

(D. Ligor. — Filliuc. — La Croix. — Salmant. — Declarat. casuum reserv. in hac Diœc.)

Ex Jure Ecclesiastico — Cum non uniformi disciplina regantur actus, quibus Episcopi constituuntur, quæritur 1.° utrum clericus, qui fuerit ad sedem episcopalem rite commendatus, vel electus, vel præsentatus, vel

nominatus, aliquod jus in diœcesim acquirat antequam fuerit in Consistorio promotus, 2.° utrum, qui promotionem in Consistorio non obtinuerit, saltem, titulo vicarii capitularis, diœcesim administrare valeat, 3.° utrum in Consistorio promotus queat in diœcesis administrationem se ingerere, antequam provisionis literas Capitulo Cathedrali exhibuerit, 4.° denique utrum promotus seu *in episcopum electus*, exhibitis bullis, aliquam jurisdictionem ante ordinationem consequatur.

MENSE FEBRUARIO.

IV. In Congregatione ad S. Stephanum, die 4, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Circa virtutem Angeli intellectivam quæritur, quænam fuerit ejusdem cognitio in via et quænam et quotuplex in patria? Rursus quæritur, quot et quænam angelicæ cognitionis objecta extiterint in via, quot et quænam existant in patria? (V. S. August., lib. 4, *super Genes.*, c. 22 et 31; *de Civit. Dei*, lib. XI, cap. 29. — S. Th., 1, q. 57 et 58; 2 2, q. 2, art. 7. — Suarezium, lib. 2, c. 9 et seqq. — Petavium, lib. 1, c. 6.)

Ex Theologia Morali. — Quidam pœnitens confitetur se in quodam gradu eminentiori constitutum superiori suo publice obedientiam denegasse, vel mala impediendi gratia, vel quadam in mandato distinctione facta. Quæritur utrum valida aliquando adducta ratio, et licita sit hujusmodi distinctio; quid vero agendum confessario cum suo pœnitente, si utraque minime sit admittenda?

(D. Th. 2.ª 2.æ, quæst. 104. — Bonac. Disput. IV de Decal. — Salmant. de IV Decal. præcepto. — Scavini de Legib.)

Ex Liturgia. — Cum sit communicandum in Missa cum Particulis in ea consecratis, quot Particulæ super patenam possint consecrari? et quando Pixis sit adhibenda? Ubi locanda sit Pixis super altare dum celebratur Missa? An necessario aperienda tempore Oblationis et Consecrationis? Quomodo post distributionem debeat purificari? Et quomodo, et a quo debeat ad altare deferri, et ab ipso removeri ut sacristiæ restituatur?

(Act. Eccl. Med. P. IV — Rituale Ambr. de Sacr. SS. Euch. in ubr. — Theologi, de Sacr. Missæ, ubi de consecratione.)

V. In Congregatione ad S. Laurentium, die 18, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Circa virtutem Angeli appetitivam quæritur, utrum ea præditus dicendus sit Angelus, et quidem libera, rationali autem dumtaxat, excluso nempe appetitu sensibili tum concupiscibili tum irascibili? (V. S. Th., 1, q. 59. — Suarezium, lib. 3, c. 1. — Petavium, lib. 1, c. XI. — Theologiam Virceburgensem, *de Ang.*, num. 30. — Knoll, § 160.)

Ex Theologia Morali. — Duo cives in taberna vinaria conviciis ad invicem sese lacessentes, subita ira adeo exardescunt, ut in pugnam cultris utrinque prehensis, atque hinc paribus armis veniant, vulneribusque ita confodiantur ut alter brevissimo tempore mortem obeat; quæritur 1.° an ineant duellum proprie dictum; 2.° an adsit verum homicidium, atque hinc sit peccatum reservatum vel Summo Pontifici, vel in nostra Diœcesi?
(D. Lig. de V præcepto Decal. et alii, nec non Declar. cas. reserv.)

Ex Liturgia. — Exponantur ritus et ceremoniæ ministrandi extra Missam Ss. Communionem 1.° quoad indumenta et genuflexiones; 2.° quoad modum tenendi sacram Pixidem, signum Crucis faciendi ante faciem communicaturi; utendi purificatorio in actu ministrationis, 3.° quoad tempus tum audiendi inservientis *Confiteor*, tum porrigendi communicaturo particulam, tum recitandi ante tabernaculum Orationem *Domine sancte Pater*. 4.° Denique, an pixide, vel potius manu, danda sit populo benedictio, an prius sit osculandum altare? Et an liceat Pixidi super altare pallam pro corporali supponere?
(Rit. Ambr. et Act. Eccl. Med. P. IV de Sacr. SS. Euch.)

VI. In Congregatione ad S. Mariam Montis Karmeli, die 25, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Utrum Angelus polleat virtute motrice, possit nempe se ipsum localiter et quam citissime movere; rursus alios spiritus et corpora quoque; et quomodo possit? (V. S. Th., p. 1, q. 53. — Suarezium, lib. 4, c. 24 et seqq. -- Theol. Virceburg., num. 34 et seqq. — Knoll, § 161 et seqq.)

Ex Theologia Morali. — An mulier fœta nimio labori indulgens, atque hinc in abortum veniens, semper sit hoc peccato culpanda, et reservationem pontificiam, vel nostram diœcesanam incurrat?
(D. Lig. de V præcepto Decal. — Roncaglia. — Scavini, et Declar. cas. reserv.)

Ex Liturgia. — Cujus formæ et magnitudinis esse debeant Particulæ consecrandæ pro Communione: a quo tempore confectæ. Quot particulæ consecratæ perpetuo custodiendæ sint in tabernaculo; quando renovandæ, et utrum, si non sufficiant pro communicandorum numero, Hostia major in Ostensorio asservata possit dividi in partes, vel saltem aliquæ Particulæ? Et an pro alicujus communione Celebrans uti possit aliqua particula Hostiæ sacrificii?
(Rituale Ambr. - Theologi. — Liguori, de Missæ Sacr.)

MENSE MAJO.

VII. In Congregatione ad S. Stephanum, die 12, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Utrum Angelus sit in loco et quomodo, videlicet circumscriptive et per contactum quantitatis, an definitive et per

contactum virtutis? Rursus quæritur utrum plures Angeli in uno eodemque loco simul consistere possint? (V. S. Joan. Damascenum, *de Orthod. Fide*, lib. 2, c. 3. — Tertullianum, *Apolog.*, c. 22. — S. Th. 1, q. 52 et 3. — Suarezium, lib. 4, *passim*. — Petavium, lib. 1, cap. 13.)

Ex Theologia Morali. — Æque ne grave est adulterium eorum conjugum qui sibi facultatem invicem fecerint illius patrandi, hinc juri suo quisque renuntiaverit, et adulterium eorum qui, secreto invicem servato illud commiserint? Viget ne in hoc casu diœcesana reservatio?

(Scavini. — Cursus complet. Theol. et D. Ligor. de VI præcepto; Declar. cas. reserv.)

Ex Jure Ecclesiastico. — Licetne clerico, qui fuerit ad sedem episcopalem nominatus, illam abdicare? Itemne si fuerit a Romano Pontifice confirmatus, vel etiam ordine episcopali insignitus? Cum autem Episcopus ad aliam diœcesim transferatur, quandonam a jurisdictione ordinaria in sua diœcesi excidit?

VIII. In Congregatione ad S. Laurentium, die 19, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quot et quænam potest Angelus efficere in triplici genere vitæ vegetativæ, sensitivæ et rationalis? Aliis verbis, potestne Angelus morbos vel mortem homini inferre, sanitatem restituere, mortem differre? voluptatem et dolorem in appetitu sensitivo excitare et sensibus externis illudere? denique intellectum, mediate saltem, movere, atque voluntatem, indirecte et ab extrinseco, inclinare? (V. S. Luc., c. 9. — S. August., *de Trinit.*, lib. 3, c. 9; *et de Civit. Dei*, lib. 15, c. 23. — S. Th., 1 par., q. 111, art. 3. — Suarezium, lib. 6, c. 16. — Theol. Virceburg., num. 42 et seqq. — Des Mousseaux, *La Magia nel secolo XIX; I Mediatori.*)

Ex Theologia Morali. — Juvenis quidam, æquivocis sæpe locutionibus inter adolescentulas de earum sensu nescias, ad turpia intendit; imo illas quoque joci causa satis procaciter, tamen non prorsus impudice tangit; matrem autem suam ex naturali affectu osculans, in pollutionem quidem, sed tamen involuntariam, corruit. Quæritur, an in his actibus quid levis esse possit, et utrum hic juvenis graviter peccaverit; deinde quænam sit a confessario admonitio facienda?

(D. Th. 2.ª 2.ª, quæst. 154; et TT. ubi de Luxuria.)

Ex Jure Ecclesiastico. — Omnes episcopos, quocumque nomine et titulo designatos, Ss. Trid. Syn. declarat « obligari ad personalem in sua ecclesia et diœcesi residentiam. » Quæritur 1.° Quid sit residentia, 2.° An Episcopus in sua Ecclesia non residendo, vel a sua diœcesi causa rationabili recedendo, residentiæ obligationi satisfaciat, 3.° An absens ultra tempus a jure statutum exspoliatus censeri vel exspoliari possit.

IX. In Congregatione ad S. Mariam Montis Karmeli, die 25, feria 4.

Ex Theologia Dogmatica. — An dæmon corpora vel spiritus defunctorum evocare possit? Quid vero dicendum in specie de Samuelis evocatione (1 Reg. 28) et de iis quæ ab evocatis spiritibus mirifice scripta vel prædicta recentiores Theurgi jactare solent? (V. Corn. a Lapide, *in* 1 *Reg.* 28. — Theol. Virceburg., num. 51. — De Mirville, *Degli Spiriti.* — Des Mousseaux, *I Mediatori.*)

Ex Theologia Morali. — Duæ puellæ a quodam procaci milite in suo cubiculo deprehensæ, ita clauso ostio pertentantur, et omni ratione, vique impelluntur, ut vel in peccatum consentiant, vel certam obeant mortem. At interim ex illis una ab alto se dejicit, et evadit; altera vero metu perculsa, animoque tamen resistens, ad probrum passive se habet. Quæritur an utraque bene se gesserit?

(D. Lig. de V præcepto Decal. — Salmatic. — et alii.)

Ex Jure Ecclesiastico. — Cum Episcopus, qui titulo pontificatus omnibus Summi Sacerdotii muneribus fungitur, cultui publico præsit, quæritur quænam sit in jure liturgico ejus potestas.

MENSE JUNIO.

X. In Congregatione ad S. Stephanum, die 2, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quandonam et quot numero Angeli, juxta communem sententiam, fuerunt a Deo conditi? quot et quinam sunt Angelorum ordines? et quodnam interest discrimen inter diversos Angelorum ordines? (V. Conc. Lateranense, 4. — S. Dionysium, *de Cœlesti Hierar.* — S. Th. 1, q. 50 et 61. — Suarezium, lib. 1, c. 13. — Petavium, lib. 1, c. 16 et lib. 2, c. 2. — Liebermann, *de Ang.*, num. 38.)

Ex Theologia Morali. — Reus ne furti censendus est qui mutuum viginti, vel ultra supra centum exigit, cum lex liberam contrahentibus relinquat mutui taxationem? Quid insuper confessario agendum cum pœnitente qui confitetur se suffragium dedisse in Legatorum conventu pro hac lege ferenda?

(TT. ubi de furto, mutuo et cooperant. in damnum alterius.)

Ex Liturgia. — Quando Sacerdos, immediate post Missam, sacram Communionem ministrat, debet ne casulam et manipulum deponere, uti habetur in Rituali Ambrosiano, vel adhuc planeta indutus Eucharistiam ministrare ad normam Ritualis Romani? Item, an præstet aliquando differre Communionem post Missam? an possit ministrari etiam a Sacerdote vestibus missalibus induto qui in alio altari Missam celebravit, vel illuc pergit celebraturus?

(Rubr. Missalis. — Ben. XIV de Sacr. Missæ, S. R. C. Decr.)

XI. In Congregatione ad S. Laurentium, die 9, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — An de fide sit, Angelos in custodiam hominum esse deputatos, itemque de fide sit, singulos homines, singulas Ecclesias, et singula regna suum sibi habere Angelum custodem? (v. S. Ambrosium, *serm. in psal.* 123. — S. Bernardum, ep. 77 *et serm.* 12 *in psalm.* 90. — S. Th. 1, q. 113, art. 4. — Petavium, lib. 2, c. 7. — Suarezium, lib. 6, c. 17.)

Ex Theologia Morali. — Legatarium suum rogat Titius infirmus, ut cito accersat Notarium ad aliquam in Testamento jam confecto mutationem pro filiis suis inserendam. Verens ille ne id in sui damnum vertatur, moram consulto interponit, ita ut iterim Titius moriatur. Legatarius superveniens cum Notario, dum certiorem de morte non sine trepida admiratione se facit, novum reperit chirographum haud a testatore subscriptum, quod, cum suum legatum valde imminutum judicet, in ignem projicit. Quæritur 1.° utrum iste Legatarius contra justitiam commutativam tum in mora, tum in chirographi ustione peccaverit; 2.° utrum aliquid teneatur restituere, si primum Testamentum vim habeat; 3.° utrum in reservationem diœcesanam contra incendiarios, vel contra supprimentes istrumenta incurrerit?

(TT. ubi de cooperant. in damnum alter. — Declarat. cas. reserv.)

Ex Liturgia. — Qua hora ministrari possit sacra Communio. Quid dicendum de Communione in Missa Natalis Domini quæ media nocte celebratur? Et an liceat celebranti in Oratorio privato Communionem deferre intra Missam ad infirmum in eadem domo decumbentem? Et quo ritu ad eundem ægrotum deferenda est Communio, sive intra, sive post Missam?

(Theologi — S. R. C. Decr.)

XII. In Congregatione ad S. Mariam Montis Karmeli, die 16, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — An et quinam cultus sit Angelis exhibendus, et an et quatenus sunt invocandi? (v. S. Aug., ep. 121. — Petavium, lib. 2, c. 10).

Ex Theologia Morali. — Qui in maxima annonae caritate triticum repositum sibi vel summo pretio exhibito renuit vendere, poteritne septimi Decalogi præcepti vi, et sanctitate integra, sive a privatis, sive a publica auctoritate ad venditionem compelli?

(D. Lig. de VII præcepto, dub. VIII, art. 1 de Contract. — Filliuc. aliique.)

Ex Liturgia. — Utrum in Communionibus vulgo Generalibus, quando SS. Eucharistia ministratur fidelibus cum apparatu et pompa solemniori, possit Sacerdos qui non habet usum Pontificalium induere Pluviale, vel saltem

habere Sacerdotem cotta indutum qui patenam ori communicantium supponat? Quid notandum circa Communionem Sacerdotum feriæ V in Cœna Domini? Quid si contingat aliquem communicare Feria VI in Parasceve? Quid si ad altare ubi facienda est Communio aliud officium celebretur, puta recitatio Matutini, vel Laudum, vel Officii Defunctorum?

(Decr. S. R. C. — Theologi, ubi de Pasch. Commun.)

MENSE JULIO.

XIII. In Congregatione ad S. Stephanum, die 7, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quandonam et quot numero Angeli a Deo defecerunt? an et quotuplici pœna mulctati fuerunt? an plures, quamvis non semper iidem, per aera vagentur? (v. S. Th. 1, q. 63 *et in Quæst. Disput.* 24, a. 10. — Suarezium, lib. 7 et 8 *passim.* — Petavium, lib. 1, c. 15 et lib. 3, c. 2. — Knoll, § 174 et seqq.)

Ex Theologia Morali. — Quidam famuli in officina domini sui, nulla conspiratione inter se inita, scientes tamen invicem furantur; quæritur quid restituere teneantur?

(TT. ubi de cooper. in damn. alter.)

Ex Jure Ecclesiastico. — Quænam jura ac obligationes Episcopus habet ex officio docendi ac Evangelium prædicandi, quod Trid. Syn., sess. 5.ª, c. 2, *de Ref. præcipuum episcoporum manus* esse declarat?

XIV. In Congregatione ad S. Laurentium, die 14, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quinam Michael qui cum Lucifero pugnavit, et quænam extitit ejus pugna? Quinam Lucifer et quodnam ejus, ejusque sociorum peccatum? (Apocalyps. 12, Isaiæ 14. — Suarezium, lib. 6, c. 10 et lib. 7, c. 7. — Petavium, lib. 3, c. 3).

Ex Theologia Morali. — Quidam vecturarii, quos fur armis aggressus exspoliavit, hujusmodi facti pudentes, subito ipsum et furem jam festine abeuntem aggrediuntur, ut rem quisque suam vi quoque recuperet; fit pugna, et qui antea invasor interficitur. Quæritur, 1.° utrum vectores rem suam ita recuperare potuerint; 2.° utrum propter patratum homicidium in reservationem diœcesanam incurrerint?

(D. Lig. de V præcepto Decal. — Gury, de occis. injust. aggress. — Declarat. cas. reserv.)

Ex Jure Ecclesiastico. — Quibus limitibus coerceatur legifera potestas, qua Episcopus in regenda sua diœcesi instruitur.

XV. In Congregatione ad S. Mariam Montis Karmeli, die 21, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quid est physica dæmonis infestatio, quid moralis? Relate ad physicam, quomodo differt obsessio a possessione? Relate ad moralem, quomodo differt tentatio diaboli a tentatione Dei? Cur denique sinit Deus, vel etiam vult, hominem utrique tentationi esse obnoxium? (2 Petri, c. 1. — S. Ambros., *de Abrah.*, lib. 1, c. 8. — Suarezium, lib. 8, c. 21. — Knoll, § 178. — Theol. Virceburg. num. 89).

Ex Theologia Morali — Utrum catholici qui protestantium funeribus intersunt, et feretrum ad cœmeterium absque, vel cum cereo comitantur, simulatione, aut hypocrisi culpandi sint, vel e contra licite id agere possint?

(De Lugo de virt. fidei div. Sect. V. — Salmanticens. de Præceptis Decal. tract. XXXI.)

Ex Jure Ecclesiastico. — Quænam sint Episcopi Coadjutoris, Vicarii Generalis ac Vicariorum foraneorum officia atque jura. Jurisdictio, quæ singulis competit vel tribuitur, estne ordinaria an delegata?

MENSE AUGUSTO.

XVI. In Congregatione ad S. Stephanum, die 4, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quomodo probas, utramque dari infestationem tum physicam, tum moralem; et quomodo respondes objicientibus, divinæ bonitati haud consentaneum videri, ut homines, maxime justi, a malis spiritibus vexentur? (Job, c. 1 et 2. — Matth. 4. — Actor. 16, etc. — Knoll, § 121 et seqq.)

Ex Theologia Morali. — Titius, ut majores fructus ex domo sua lucretur, eam meretrici, vel acatholicis ad conventum protestantium habendum locat; quæritur utrum licite?

(Salmantic. de simplic. fornicat., aliique TT.)

Ex Liturgia. — Quo loco communicandi sint Sacerdotes et Diaconi? Quo loco Clerici inferiores? et quo habitu induti esse debeant? Qualis ordo servandus si inter communicandos adsit etiam missæ inserviens, vel minimo, vel nullo clericali ordine instructus? Et utrum simplices fideles, et etiam fœminæ, præsertim si non adsint cancelli, possint ad gradus altaris pro Communione accedere? Item, an quando sacerdos qui sacram Eucharistiam ministravit, jam reversus est ad altare, et aliquis supervenit qui petat communicare, debeat statim ejus desiderio satisfacere, vel SS. Sacramentum reponere et novam Communionem aliquantulum differre?

(Gavant. Pars II, Tit. X — S. R. C. Decr.)

XVII. In Congregatione ad S. Laurentium, die 11, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quid et quotuplex est magia realis seu superstitiosa; quomodo differt a magia naturali et an possit admitti? Negata vero magia reali, negandum ne æque illud cum dæmone commercium quod innititur pacto, ut ajunt, sive expresso, sive tacito? (Exodi 7. — Actor. 8. — Bellarminus *de Sacram in genere*, lib. 1, c. 20. — Bergier *Dict. Theol. ad vocem* magia. — Perrone, *de Ang.*, num. 121. — Knoll, § 186. — Theol. Virceburg., num. 33. — Des Mousseaux, *La magia nel secolo, XIX*).

Ex Theologia Morali. — Quidam reus interrogatus negat se crimen patrasse; quæritur 1.° utrum ad id uti possit restrictione pure mentali; 2.° utrum et semper verbis tantum æquivocis?
(Viva Theol. trut. thes. damnat. — D. Lig. — Scavini.)

Ex Liturgia. — An necessario sternendæ sint mappæ super cancellos, aut scamna oblonga ubi SS. Communio ministratur? An ad hunc usum debeant tantum inservire? An possit in earum deficientia mappæ altarium adhiberi? An tolerandum, si unus tantum, aut alter ad Communionem accedit, ut loco mappæ grandioris, sternatur linteum quod ad manus abstergendas in missæ sacro inservit, sive supra scamnum, sive supra bursam calicis; vel ut communicaturi aliud parvum linteum ad instar corporalis aptatum, et chartæ crassiori decenter infixum, ori supponant, et sibi etiam invicem tradant?
(Act. Ecc. Med. — Liturgistæ Gavant. Bouldry et alii ubi de Commun.)

XVIII. In Congregatione ad S. Mariam Montis Karmeli, die 18, feria 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Negata magia reali, negatoque etiam pacto sive tacito, sive expresso, cum tamen plures extiterint qui fidem utrique adhibentes magicis artibus studuerunt; tum ostende, Ecclesiam jure meritoque contra superstitiosa hujusmodi commercia cum dæmone leges sanxisse. (v. *Conc. Rom. 4.* — Constit. Sixti V, *Cœli terræque conditor.* — Constitut. Gregorii XV, *Omnipotentis Dei*).

Ex Theologia Morali. — Quidam superioris sui crimen occultum et grave ejus subditis manifestat; quæritur utrum aliquando id liceat, imo fieri debeat?
(D. Lig. de VII præcepto Decalogi, et TT.)

Ex Liturgia. — Utrum SS. Eucharistia deferri possit ad ægrotos sine pluviali? Utrum sine umbella? Utrum aliquando etiam sine stola? Utrum liceat, si periculum urgeat, Sacerdotem currere per vias cum SS. Sacramento? Et quomodo post infirmi Communionem purificanda sit Pixis quando una tantum delata fuit particula? Et an in casu danda sit manu benedictio?
(Theologi, ubi de Comm. ad ægrotos — Rit. Amb. = S. R. C. Decr.)

ERRATA — CORRIGE.

Pag. 43, not. (2), lin. 1. *impleantur* — impleantur, adnotamus. Lin. 5. *editæ* — editas.

RESPONSA AD QUÆSTIONES
EX THEOLOGIA MORALI ET SACRA LITURGIA
IN URBANIS CONGREGATIONIBUS PROPOSITAS
ANNO 1863

Ex Theologia Morali.

I.

Quæstio. — *In confesso est, atque ex Theologia patet, Decalogum totam naturæ legem complecti; attamen, tum præceptum de Dei, proximi, et suimetipsius dilectione, tum illud quod ad prudentiam, fortitudinem, aliasque ordinis naturalis virtutes attinent, in Decalogo desiderantur. Quid ergo? Dicine potest hæc præcepta de lege naturali non esse?*

Responsum. — Quod in Decalogo nonnulla desiderentur præcepta circa quasdam Legis Naturalis virtutes, id specie, et materialiter, non re et formaliter admitti fas est. Cum enim Decalogus sit veluti totius Legis Naturalis epitome, ipsa ratio docet in eo, brevitatis gratia, omittenda fuisse tum quæ sunt prima et communia, quippe omnibus nota; tum quæ intellectu difficiliora, quippe paucioribus clara, et hinc diligenti investigatione scrutanda. Etenim illa continentur in conclusionibus proximis, uti summa principia; ista in propositis principiis, uti conclusiones per sapientum disciplinam deducendæ [1]. Jam vero triplex hujusmodi dilectio, cui innititur, quamque totus exprimit Decalogus, ut maximum principium habetur; honorare enim Deum, ejusque mandata servare [2]; hominum jura revereri; ordinare se in Deum, hoc est vel Deum, vel proximum, vel seipsum vere diligere. Præceptum autem tum de modo se amandi, quod satis superque obscurum est [3]; tum de ordinis naturalis virtutibus idem Decalogus complectitur ut conclusiones a sapientibus deducendas, quia sunt media, quibus uti debemus ad hanc Legem observandam; hinc necessaria est prudentia, quæ dicitur recta ratio agibilium [4]; necessaria fortitudo, quæ est cohibitiva timorum [5]; et sic de cæteris.

(1) D. Th. 1 2, quæst. C, art. 3. — (2) Joann. XIV, 15, 21. — (3) D. Th. 1 2, quæst. C, art. V, ad I. — (4) D. Th. 2 2, quæst. XLVII, art. 3. — (5) D. Th. 2 2, quæst. CXXIII. art. 3.

II.

Quæstio. — *Philosophus quidam in suo Athenæo docet jura in homine a relationibus suis cum Creatore, creaturisque oriri; et, cum relationes mutentur, jura quoque mutari; hisque mutatis, inferendum esse, et legem*

naturalem, et ipsum Decalogum mutari; obligationes enim, quæcumque sint, semper juribus respondent. Quæritur ergo, an recte suam sophus ratiocinationem instituat, ut Decalogus dicendus sit mutabilis?

Responsum. — Hic sophus haud recte ratiocinatur. Porro non inficior jurium fundamentum esse obligationem, si logicam tantum genesim consideres; jura enim erga alios habemus, quia supremo ordinis Auctori, cujus tantum jus omnem aliorum obligationem præcedit, omnes obtemperare tenemur; non inficior obligationes, quæcumque sint, semper juribus respondere; eorum quippe alterum alterius correlativum est (1); non hinc inficior jura in homine a relationibus suis cum Creatore, creaturisque oriri; attamen cum relatio duplicis possit esse speciei, nempe naturalis aut necessaria, et adventitia aut accidentalis (2); cumque in rerum natura, et in ordine a Deo statuto illa nitatur, altera vero in factis ab homine positis, et omnino ab hominum voluntate pendentibus; cumque denique Dei, hominisque natura sit immutabilis, inferendum est et immutabiles esse relationes quæ consequuntur, et immutabilia esse jura, quamvis eorum objectum, id est materia, mutari possit; vinculum enim, quo vicissim obstringimur, non ipsi creamus, sed in materialem, quam ponimus, conditionem inducimus; et ita sponte veluti ingredimur in eas relationes, ex quibus ordo æternus huic obligationem, alteri jus constituit. Licet ergo concludere, distinctione relationum attenta, et Legem Naturalem, et ipsum Decalogum mutari non posse.

(1) Taparelli, *Saggio teoretico di Dir. Naturale,* Capo III. — (2) Liberatore, *Institut. philosophicæ, Metaphysica gener.,* art. 7. — Suarez, *Metaph. de Relatione,* dispul. 47.

III.

Quæstio. — *Si Decalogi præcepta nequeunt mutari, in potestatene est tum Dei, tum hominis qui suprema gaudeat auctoritate, eadem ita relaxandi, ut eorum violatio ne culpæ quidem vertenda sit? In intellectu enim æterno altiora inesse possunt principia, ut ajunt, quæ nostra jura et relationes ita excellant, ut licitum fortasse sit aliquando furari, aliena concupiscere, falsum testimonium proferre, et hujusmodi. Ita ne se res habet?*

Responsum. — Hic, ut patet, sermo non est de dispensatione quæ relativa et impropria dicitur, sed de absoluta et propria. Jam id prorsus negandum. Nam, ut judicemus utrum Deus, aliusve supremus Legislator id agere possint per se, habenda nobis est ratio de principiis et relationibus, quæ hic et nunc nos afficiunt, quæque Dei hominisque naturæ, a qua pendent, omnino conveniunt, quia vel ordinant ad Deum, qui est bonum commune, et finis ultimus; vel ordinant ad justitiam inter homines servandam, ut nulli fiat indebitum et cuilibet debitum reddatur. Si autem Deus in his dispensaret, sibi hominique deesset, et negaret seipsum, quod est absurdum. Si qua vero in Scripturis sunt facta quæ dispensationem subiisse videntur, id improprie contigisse intelligendum est, scilicet per mutationem materiæ, quæ desiit comprehendi sub Lege. Quod vero attinet ad altiora, ut ajunt, principia juribus, nostrisque relationibus excellentiora, ex quibus inducendum esset licitum fore quod illicitum in

præsens est, id patet somnium esse mentis infirmæ, et phrenesi correptæ; nam cum jura, et relationes, quæ nunc ex Decalogo obtinent, ex natura tum Dei, tum hominis oriantur, admitti deberet posse in Deo adesse principia quæ Dei, hominisque naturam evertant, et destruant. Ex quo fit, juxta Isaiam 24, 5, ridiculum sane, atque impietatem sapere jus mutare, proindeque velle novum jus inducere; quasi ac novus possit Deus effingi, et nova creatura, quæ cum sit prædita natura humana, diversis, oppositisque, quibus nunc gaudet principiis, et attributis, institui possit, et regi [1].

(1) S. Th. 1 2, quæst. C, art. 8. — Suarez, *De Legibus*, cap. XIII et XV. — Gury, *De Legibus in specie*, cap. I.

IV.

Quæstio. — *Quidam, litteris, scientiisque deditus, asserit et contendit, progressus materiales scientiarum, morumque disciplinæ in societate ita perfici posse, ut, vel nulla religio, vel alia quam christiana et catholica, populorum universitati necessaria sit. Quæritur, an utrumque admitti possit, an qui ita sentiat, bona fide gaudere valeat, vel quonam secus sit peccato culpandus?*

Responsum. — Neutrum prorsus admittendum. Progressus enim, ut verus habeatur, et nunquam a veritate deficere, et semper in veritatem magis magisque debet tendere. At veritas id prae omnibus postulat, ut nemo inficiari audeat tum Dei, tum hominis naturam. Atqui Dei natura est, ut sit etiam omnium Creator, et supremus Dominus; hominis autem, ut sit illius creatura omnino dependens; ergo quicumque fuerint, futurique sint progressus, semper aderit hæc essentialis relatio; quæ ex se, et absolute obsequium et aliquam religionem requirit. Hæc autem religio, contra alterum, quod asseritur, nequit esse nisi Christiana catholica; ex eo quia cum hæc una omnem veritatem possideat, et doceat, veros progressus nec vereri, nec adversari potest; quin imo eos fovere, uti jus suum, omni studio nititur, et contendit. Utrum autem, qui vel nullam, vel aliam quam catholicam religionem necessariam esse profiteatur, bona fide gaudere valeat, in prima hypothesi negandum prorsus, ipsa abhorrente natura; in altera, si præsertim sermo est de iis, qui vel inter catholicos vitam gerant, vel eorum doctrinam aliqua saltem ratione non omnino ignorant, vel litteris student, id quoque negandum; hinc de innumeris, qui in acatholicorum sectis ab incunabulis versantur, si rudiores non paucos excipiamus, cæteros ab hæresi formali, et infidelitate non esse excusandos affirmarem [1].

(1) D. Th. in opusc. contra impugnantes Dei cultum, cap. I. — S. Vincent. Lirinensis in Commonit. 23.

V.

Quæstio. — *Berta, dum suam a Deo absolutam independentiam prædicat, tamen Cajo publice honorem qui Creatori tantum competit, eo exhibet animo, ut is bonum quoddam hic in terris vehementer ab ea desideratum,*

summo Bono posthabito, illi comparet. Quæritur an Berta peccatum idololatriæ patraverit ratione tum sui, tum hominis, tum rei creatæ?

Responsum. — Ratione habita de variis idololatriæ speciebus, dico Bertam non patrasse peccatum idololatriæ formalis *ratione sui* prædicando absolutam independentiam a Deo; id enim potius est hæresis, et blasphemia hæreticalis, quam indebiti, divinique sibi cultus exhibitio; hinc, præter metaphoricam, nulla hic adest idololatriæ species. Dico insuper, nec *ratione rei creatæ*, quia Bono a se desiderato nil adorationis tribuit; et quamvis Bonum summum posthabeat, idque explicite, tamen nonnisi apostasiæ videtur rea, cum Deum rejiciat, qui est totius fidei fundamentum, et synthesis. Denique *ratione hominis* Bertam probabiliter lapsam tueor in formalem idololatriam, ad quam tres actus requiruntur, nempe intellectus, voluntatis, et externus, quos illa posuit; nam 1.° eam independentiam, quam Deo detrahit, in Cajo, cui se submittit, recognoscit; en actus intellectus; 2.° quia cum putet Cajum acturum, quod ipsa vehementer desiderat, sponte se determinat ad cultum præstandum; en actus voluntatis; 3.° quia publice honorem, qui Creatori tantum competit, illi tribuit; en actus externus. Nihilominus hæc mulier in id progressa impietatis, mentisque cæcitatis difficilius videtur, ut hominem Deum esse putet; qua dempta existimatione, Berta in imperfectam tantum idololatriam incidisset [1].

(1) Suarez, *De virtute Relig.*, tract. III, lib. 2.

VI.

Quæstio. — *Duo sunt confessarii, quorum, unus suadet et approbat, uti remedium efficacissimum contra morbos, usum magnetismi, eo tamen pacto, ut si vires naturæ excedat, adhibeatur quidem, sed omni fœdere prorsus rejecto cum dæmone; alter vero, sub comminatione absolutionis denegandæ, quemlibet magnetismi usum damnat et prohibet. Quæritur, an uter sacerdos bene se gerat; an uterque aberret?*

Responsum. — Uterque equidem, unus prae alio aberrat; ille 1.° quia si non prohibet quominus magnetismus adhibeatur ut causa physica ad consequendum effectum naturæ vires excedentem, licet pactum cum dæmone prorsus rejiciat, id tamen implicitam saltem magiam sapit, et implicat; nolle enim id, cujus ponitur causa ut fiat, idem est ac velle; 2.° quia habetur responsio tum Curiæ Romanæ in Congregat. S. Officii 21 aprilis 1841; tum Sacræ Pœnitentiariæ 1.ª Julii ejusdem anni, ubi magnetismi usum, prout in casu exponitur, declaratur non licere. Errat quoque alter, 1.° quia cum magnetismus proponatur etiam ut causa mere physica, ex qua sequi possint effectus mere naturales, non est cur rejici, damnarique debeat pœnitens, qui intra licitos fines eo utatur; secus enim, qui physicæ student numquam vel potuissent, vel possent quamlibet naturæ vim primitus sese prodentem ad analysim vocare; 2.° quia si cum controvertitur utrum effectus procedat ex causa naturali, nec ne, dubium interpretandum est in meliorem partem, et idem effectus naturali causæ

non est negandus; innumeræ enim, ait Sanchez, agentium naturalium vires nos latent; consequitur rejici simpliciter non posse usum magnetismi; 3.° quia cum judicium et sententia a legitima auctoritate lata sit, ut non liceat usus magnetismi, prout in casibus fuit expositus; ergo inferendum est eum absolute non damnari. Hinc patet hunc confessarium nimis rigidum, et sub aliqua ratione injustum fuisse; qui propterea satis prudenter se geret, si data bona fide, honestate, exclusoque pacto cum dæmone, et intentione adhibendi magnetismum ut naturale remedium, hujusmodi usum ipse nec approbet, nec suadeat [1].

(1) Sanchez, *De Decalog.*, lib. II, cap. XC. — Gousset, *Theol. Mor.*, T. I, 425. — Gury, *app. ad I Præceptum Decal.*, — Scavini, *De vitiis Relig. oppositis.*

VII.

Quæstio. — *Mulier quædam ex somniis, variisque, tum rerum, tum personarum, vicissitudinibus, numeros quosdam ad sortitionem scribendos, quasi ex fide, conjicit. Quæritur* 1.° *an fides habenda sit aliquando somniis?* 2.° *an ista mulier peccaverit?*

Responsum. — Quoad I, si quis utatur somniis ad præcognoscendum futura, secundum quod somnia vel pro certo, vel probabilius saltem ex revelatione divina sibi teneat immitti, non est illicita divinatio; hæc autem si oriatur ex revelatione dæmonum, quibuscum pacta habeantur vel expressa, si ad id invocantur, vel tacita, si hujusmodi divinatio, ut ait D. Th., se extendit ad quod se non potest extendere, est quidem illicita, et superstitiosa. Hinc ex fine, ad quem tendunt, ex causa, qua quis utitur, et ex circumstantiis in quibus eveniunt colligi poterit, utrum a Deo, vel a natura, vel potius a dæmone somnia originem ducant. Quoad II, mulier peccasse videtur, sed tantum venialiter; peccasse quidem, cum fuerit contra ordinem Providentiæ, quæ personarum, rerumque vicissitudines ad sortitionem haud moderatur; venialiter tantum, cum desit expressa, vel tacita dæmonum invocatio; non enim mulier certe fidit somniis, quorum absque dubio fallaces non raro experta fuerit divinationes.

(D. Th. 2 2. — D. Ligor. lib. 3, tr. I. — Gury de præcept. Decal. cap. 2.)

VIII.

Quæstio. — *Quidam templorum exornator, scalam, quam socius scandit, ad imum tenens, et specie obfirmans, ita tamen consulto dimovet et agit, ut ille, veluti casu, sed revera, ex veteri alterius odio, ab alto decidat, mortemque obeat. Quæritur* 1.° *quid, et quotuplex sacrilegium?* 2.° *an exornator hoc peccato culpandus?* 3.° *an Ecclesia polluta fuerit?*

Responsum. — Quoad I, sacrilegium est violatio rei sacræ, hoc est, cultui divino solemniter dicatæ; etenim id omne, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ait D. Th., ad injuriam Dei pertinet, et habet rationem sacrilegii. Debemus autem reverentiam metiri ex sanctitate; quæ cum in personis, locis, et rebus divino cultui addictis inesse possit, triplex habet objectum; proinde, si violetur, triplex adest sacrilegium, nempe

personale, locale, et *reale.* Quoad II, affirmative, si loci rationem advertit; quia ex circumstantiis tum veteris odii, tum dimotionis, agitationisque scalæ patet eum voluisse vel homicidium, vel saltem gravem in socio, cruentamque corporis læsionem; quod utrumque loci sacri violatio est. Quoad III, nisi certo constet in foro externo de patrato homicidio, nempe nisi odium, et agitatio scalæ ita probentur, ut subsecuta mors, aut vulnus ex juris, vel facti notorietate reo tribuantur, Ecclesia haud polluta est censenda; in dubio enim mors casu evenisse creditur; et ad rationem sacrilegii theologica culpa requiritur certa.

(D. Th. 2 2, q. XCIX, 3. — D. Ligor. lib. 3, tr. I. — Gury de præcept. Dec. cap. 2, art. 1.)

IX.

Quæstio. — *Quænam requirantur ut furtum sit sacrilegum, et num fures sacrilegi sint sive qui catholicorum, sive qui hæreticorum, vel infidelium, quorumvis templa expilaverint.*

Responsum. — Quoad I, ad furtum sacrilegum ex Jure Can. cap. *Quisquis,* causa 17, q. 4, requiritur injusta rei sacræ, vel non sacræ [1], saltem probabilius, a loco sacro, ablatio. Quoad II, cum sacer habeatur locus, qui ex Ecclesiæ auctoritate publico cultui deservit, quamvis non consecratus, vel benedictus, furta commissa in templis catholicorum, vel hæreticorum quidem, sed catholicis jam antea usurpatis, nec unquam execratis, absque dubio, ratione saltem loci, sacrilega sunt; ea vero, quæ in fanis infidelium habita fuerunt, sacrilegii specie infici nequeunt; nil enim in iis, nisi profanum nobis considerare fas est.

(1) D. Lig. lib. 3, tr. 1. — Salm. tr. 6, cap. 8. — Gury de Præcept. Decal. n. 279.

X.

Quæstio. — *Quidam ab jus habente ad votum in collatione alicujus beneficii ecclesiastici acerrime vexatur, ita ut alii quoque patroni hac tantum de causa ei adversentur; attamen pro certo habet, si pecuniam offerat, illum et a vexatione cessare, et suum votum cum cæteris præbere. Vexatus ergo aurum tradit, non aliud, quam se a vexa redimere, intendens. Quæritur, an præbens, et accipiens, aliique simoniaci sint appellandi?*

Responsum. — Simonia est studiosa voluntas emendi, aut vendendi spirituale, vel spirituali annexum pro temporali. Jam, modo quamvis, ex regula a D. Th., Suarez, aliisque tradita, non liceat pretio se redimere ab injusta vexatione illius, qui obesse, et una simul prodesse, potest, quia solutum aurum una cum vexationis remotione electorem videtur allicere ad suum votum præbendum; tamen hic satis probabile est vexatum absque simonia pretium solvisse; quia 1.° hæc vexatio videtur quasi vis, aut fraus, nec non quædam aliorum subornatio, quæ omnia, cum omnino injusta, et temporalia sint, æquum, justumque est per temporale tolli posse; 2.° intentio, in hypothesi manifestanda cum traderetur pecunia, tantum est, ut elector animo ita se comparet, ut rationabiliter, et hinc voluntarie, et libere agat, quod nemo est, qui carpere audeat.

Vexantem deinde simoniaca labe affectum defendo; non enim videtur, nisi suæ mentis non sit, cur acerrime vexet, quin aliquid pro animi remissione, suffragiique concessione accipere intendat. Denique alios electores nihil accipientes, quibusque nihil promissum, simonia non esse ullo modo culpandos censeo.

(Less. de Iust. lib. 2, cap. 3, 5. — D. Lig. lib. 3, tr. I.

XI.

Quæstio. — *Titius ex prava consuetudine blasphema in Deum verba profert, non intelligens quidem eorum sensum, sed cognoscens saltem in confuso, vel dubitans ea injuriam aliquam Deo irrogare. Violatne secundum Decalogi præceptum, atque ita violat, ut incurrat etiam vel pontificiam, vel diœcesanam reservationem?*

Responsum. — Titius violat secundum Decalogi præceptum; quia sive in confuso cognoscat, sive dubitet, cum reapse verba proferat, deliberate injuriam, quamvis non clare, aut non certe apprehensam, Deo irrogat, qui autem cum dubio practico actionem ponit, quæ ei videtur gravi culpa non carere, lethaliter peccat. Quod vero attinet ad pravam in blasphemando consuetudinem, nisi sit ex animo retractata, sufficientem ad peccatum mortale advertentiam non adimit; quamvis enim habitus, ait D. Ligorius, vivacitatem conscientiæ extinxerit, satis tamen reliquit luminis ad verborum impietatem advertendam. Quoad pontificiam reservationem, Titium ea incurrisse non arbitror. Hæc enim ex blasphemia hæreticali, externata, cum errore intellectus, voluntatisque pertinacia, quam censuræ adnexæ notitia comitetur, tantum contrahitur; quæ omnia videntur deesse in Titio. Si autem de diœcesana reservatione sermo est, hac, dummodo materia sit per se gravis, irretitum censeo, non quatenus dubitantem, quia nec *deliberate*, nec *conscius de sensu verborum* blasphemiam protulit, sed quatenus cognoscentem saltem in confuso prolata verba injuriam aliquam Deo irrogare; quia satis conscius, satisque deliberate agit; dixi, *dummodo materia sit per se gravis*; nam cum *aliqua* injuria esse possit aliquid levis, in casu, ex regula generali, reservatio non vigeret.

(D. Lig. lib 3, tr. 2, N. 127. — Compendium Th. ad normam Card. Gousset. — Declarat. cas. reserv.

XII.

Quæstio. — *Juramentum est divini nominis invocatio in testimonium veritatis. Quæritur 1.° validumne est juramentum magistratus qui Deum negat? 2.° pejerat ne magistratus qui jurat cum animo, vel se non obligandi, vel non implendi quod jurejurando promisit, vel imo illud evertendi?*

Responsum. — Ad I, quamvis magistratus hic Deum negare plena mentis persuasione non possit, cum nemo compos sui, in tanta effectuum multitudine et magnificentia, causam prorsus necessariam, et primam rejicere audeat; tamen videtur de ejus existentia quidquam posse animo

excipere incertitudinis, quæ saltem sufficiat ad evacuandam juramenti vim, quæ tota in usurpatione testis omniscii, et infallibilis posita est, cum per hujusmodi testem supplere nitimur defectui tum veritatis, tum cognitionis humanæ; hinc fit, quod, deficientibus, ob dubium utrum Deus existat, omnisceintia, et infallibilitate, juramentum cadere necesse est; basi enim nulla, aut infirma, stare nequit ædificium. Ergo ista nominis divini usurpatio, quatenus actus religionis, est invalida; quatenus actus civilis a lege imperatus, et a magistratu ad se obligandum positus, valida est. Quoad II, si jurat cum animo se non obligandi, pejerat quidem, sed ad obligationem non tenetur; pejerat, quia divini nominis invocatione in testimonium mendacii abutitur, in quo præsertim ratio perjurii consistit; non obligatur coram Deo, quia Deus juramenta non acceptat nisi qua exhibentur intentione. Denique, si jurat cum animo vel non implendi, vel etiam evertendi, et pejerat, quod evidens est; et jurata promissione vincitur: obligatio enim juramenti promissorio est essentialis, et inseparabilis; proinde hoc ipso quod quis jurat, eadem quippe ratione expresse se obligat; nequit enim actus naturam destruere, et facere quod verum juramentum sit non verum.

(D. Th. 2 2, 89. 7. — Scavini De act. relig. exter. — D. Lig. lib. 3. tr. 2.)

XIII.

Quæstio. — *Quædam uxor, antequam matrimonium rite contraheret, votum castitatis perfectæ et perpetuæ emisit, sed id oblita est, nec recordatur, nisi jam alterius juris facta. Quæritur 1.° an hoc votum uxorem obliget etiam post matrimonium? 2.° cuinam sit per se reservatum? 3.° an possit in casu ab Episcopo dispensari?*

Responsum. — Quoad I, affirmative; nempe mulier nec petere, nec reddere potest primo labente bimestri; ex privilegio enim Juris Can. eximuntur hoc temporis spatio conjuges ab obligatione conjugalis debiti reddenti jure petendi suspenso; cum igitur sit veluti soluta, tota ejusdem voti obligatione afficitur, qua ne reddat, tenetur uti privilegio bimestris, et quominus petat, omnino prohibetur. Quod si statim a matrimonio sui voti reminiscatur statimque efflagitet dispensationem, in ea procul dubio mentionem faciat de bimestri nondum elapso, ne illam obrepere videatur. Quoad II, dummodo sit absolutum, sub gravi, determinatum, et materia, libertateque perfectum, hoc votum summo Pontifici reservatur; et ratio est, quia in iis, quæ sunt juris divini ab humana voluntate pendentis, cum totius Ecclesiæ regimen, bonumque respiciant, solus Pontifex, ut supremus magister, et judex auctoritatem habet. Quoad III, affirmative, idque communius, et valde probabiliter; tum quia lex reservationum est in ædificationem, quæ secus in hujusmodi casu sæpe sæpius periclitaretur; tum quia hæc facultas dispensandi conceditur episcopis ex consuetudine, quæ jurisdictionem præbet. Cum tamen dispensatio non sit ab Ordinariis concedenda, nisi quatenus necessitas urgeat; cumque ad id sufficiat voti suspensio, consequitur hanc Episcopi facultatem non esse absolutam, sed conditione, et limite circumscriptam.

(D. Lig. De Voto, et Matrim. — Gury de Matrim. — Sanchez de Matrim. lib. IX.)

XIV.

Quæstio. — *Quidam dives privilegium obtinuit de Oratorio privato; cum autem morbi causa domo egredi nequeat, die festo et licito sacerdotem ad celebrandam Missam advocare recusat, ex eo quia, ut ait, non tenemur privilegio uti. Quæritur an valida sit ratio cui innititur hic dives? vel e contra obligetur ad vocandum sacerdotem, ut Missam audiat?*

Responsum. — Ad I, negative; hic enim attendenda potius est ratio præcepti cum circumstantia privilegii, quam ipsum per se privilegium; ex prima enim urget obligatio audiendi sacrum; ex altera hujusmodi obbligatio possibilis fit; quisque autem tenetur satisfacere præcepto, si potest, sine notabili incommodo; ergo etiam quoad II, affirmative, si modicum stipendium requiritur; etenim si pedibus ire ad Ecclesiam nequiret, sua quidem uti rheda teneretur, quæ est alterum quasi privilegium divitum; igitur non videtur eximendus ab alterius privilegii usu, ut eidem præcepto satisfaciat. Non nego tamen adesse auctores doctrina, et pietate præditos, qui contrariam sententiam tuentur, nempe Suarez, Filliucius, Salmantic., et alii, huic tantum rationi innixi, quod privilegium datur ut favor, non ut onus. Cæterum D. Lig. post hæc ait, probabilius obligationem vigere.

(D. Lig. lib. 3. Tr. 3, dub. V. — La Croix lib. 3. N. 676.)

XV.

Quæstio. — *Negotiator quidam familia gravatus asserit haud leve se damnum pati, eo quia suam diebus dominicis clausam teneat officinam, aliis interim vicinioribus liberrime negotiantibus, eumque irridentibus; sensim sine sensu decrescere numerum suorum clientum, merces sibi manere invenditas, urgere creditores. Num hisce de causis ipsi licebit quod alii sibi permittunt?*

Responsum. — Hic, quod alii liberrime viciniores negotientur, et ipse irrisionibus afficiatur, non est cur possit in violatione diei festi eos imitari; pravum enim exemplum equidem fugiendum, et irrisiones haud pertimescendæ sunt, cum plus auctoritatis habere Ecclesia debeat, quam privati homines. Quoad alias vero causas, quæ innuuntur, quæque ad damnum non leve patiendum, vel lucrum notabile amittendum reducuntur, omnes sane excusant a servilibus in die festo exercendis. Hæc est sententia communis, et forte, ait D. Ligorius, magis probabilis; et ratio est, quia lex humana cum gravi detrimento non obligat. Notandum tamen hanc licentiam non magis extendendam esse, quam ipsa necessitas postulet; et conciliandam cum munere vitandi scandalum; ideoque suadendum, ut saltem divinorum officiorum tempore ab operibus abstineat, atque officinam claudat; quod si id quoque non possit, ut non omnino adaperiat fores, et exterius quædam suæ erga diem festum reverentiæ indicia præseferat; ita ut quisque non impietati, et contemptui, sed uni tantum necessitati adjudicet, si is tali die operibus servilibus incumbit.

(D. Lig. lib. 3. tr. 3, cap. I. — Scavini de Act. relig. exter. — Billuart de Relig. et vit. opp. art. 4.

XVI.

Quæstio. — *Quædam mulier diebus festis, ne tempus satis longum otio terat, quod jam experta est causam fuisse sibi tum tentationum, tum etiam peccatorum, vel pingit, vel in viridario suo nonnullas horas insumendo flores expurgat, componit, irrigat, terramque etiam bipalio vertit, vel alia opera quæ prorsus servilia sunt, remoto tamen scandalo, facit. Quæritur, an in his omnibus violet tertium Decalogi præceptum?*

Responsum. — Quando hæc mulier experta sit otium fuisse sibi veluti causam peccandi, tunc licita omnia fuerunt, quæ die festo, ut falleret tempus, operata est; nam si possumus opera servilia exercere ad vitandum damnum materiale, idipsum eo magis licitum esse debet, remoto scandalo, cum agitur de spirituali, quod aliter vitari nequeat. Quando vero otium fuit tantum tentationum occasio, tunc sufficiens ratio non aderat utendi servilibus; violatio enim præcepti tunc in culpam non vocatur, cum gravis urgeat necessitas; atqui in casu hæc deerat, quia tentatio hujusmodi et erat absque gravi labendi periculo, et expelli aliter poterat, proindeque debebat; ergo, etc. Quoad opera quæ mulier exercuit, utrum servilia sint, nec ne, hinc utrum illa nec ne violaverit præceptum, in mentem revocanda est regula, fortasse non ab omnibus satis attenta, nempe illud esse opus servile, in quo, omni etiam lucri ratione remota, potius, et quasi absolutum sit exercitium corporis, quam mentis; est enim defatigatio corporalis, quæ hujusmodi præcepto opponitur; jam modo pingere, si fiat sine magno apparatu, magis est mentis opus, quam corporis; hinc summum est actio servis liberisque communis, proindeque proprie non servilis; cætera vero, quæ in viridario exercentur, servilia quidem sunt, sed levia, si vertere terram excipias; hinc ut gravem materiam efficiant plus temporis requirunt, quam alia per se graviora. Confessarius ergo, ut in his judicium suum recte statuat, et æquam ferat sententiam, tum periculi animæ propter otium, tum qualitatis operum propter defatigationem, tum temporis insumendi propter diuturnitatem rationem habeat.

(D. Lig. lib. 3. — Gury de 3 Præcept. Decal. — La Croix lib. 3, p. I. — Layman lib. 4. tr. 7.

XVII.

Quæstio. — *Quidam typographus ephemerides excudit, proditque in lucem tum diebus festis, tum mendaciis, vel erroribus contra fidem, vel narratiunculis contra bonos mores refertas. Quæritur* 1.° *an hoc opus, omni etiam abusu remoto, licitum per se sit illis quoque diebus?* 2.° *an, si illicitum, gravius fiat ex abusu peccatum, attenta circumstantia temporis?*

Responsum. — Ad I, in excudendo duo præsertim distingui debent, nempe collocare typos, sive, ut ajunt, characteres ad compositionem verborum, et imprimere. Jam modo primum communiter non inscribitur inter servilia, quippe quod ingenii magis, quam corporis vim requirat; alterum autem habetur ut servile, quippe quod omnino mechanicum est; et id testantur impressores qui catholice sentiunt, cum diebus festis se absti-

neant omnino abs excudendis diariis. Quoad II, ex circumstantia diei festi ephemeridum abusus contra veritatem, bonosque mores non induceret novam speciem peccati, quamvis in sua gravior fieret; objectum enim præcipuum istius præcepti est abstinentia a servilibus; quatenus vero per peccatum mendacii, vel impietatis dehonorat diem festum, facit quidem contra finem præcepti, nempe ut dies Domini digna veneratione colatur; non autem contra objectum ejusdem præcepti, nempe ut a servilibus quisque abstineatur.

(D. Lig. 3, 282. — Scavini tr. V. disp. 11 ar'. 3. — Layman lib, 4, tr. 7.

XVIII.

Quæstio. — *Quidam pœnitens officinam suam de pannis, vel calceis, vel chirothecis totum mane diebus festis, ut mos sibi est, adventoribus pandit. Quæritur 1.° potest ne id de omnibus, quas innuimus, rebus permitti? 2.° quid agendum si pœnitens iste in periculo vitæ constituatur? scilicet, obligandusne est, antequam viaticum suscipiat, de scandalo veniam adstantibus petere?*

Responsum. — Præmittendum censeo hic sermonem non esse de venditore, cui faveat legitima, vel saltem tolerata consuetudo, aut gravis oriatur id faciendi necessitas; jure enim suo uteretur. Jam modo quoad I, si de pannis, et calceis agitur, permitti potest venditio; ita tamen prouti pietas in Deum, et charitas in proximos suadebit, ut nempe sit modus, et veneratio ad diem sacrum habeatur, tum subclaudendo fores, tum velando propatula, tum præsertim omnino ab operibus cessando cum solemnia peraguntur. Ratio autem est, quia licet ad victum, vel valetudinem hæc non requirantur, benignius interpretari possumus legem canonicam id prohibentem, quatenus sunt merces non ad luxum exquisitæ, sed cujusdam necessitatis, præsertim pro pauperibus, montanis, iisque tandem qui nimis a longe ementes veniunt. Quod si de chirothecis agitur, nisi adsit legitima consuetudo, idem dicendum non arbitror; merx enim hæc luxui tantum inservit, eaque utuntur ii qui cæteris diebus temporis brevitate excusari posse non videntur. Quoad II, nisi scandalum sit gravissimum, vel pœnitens inter primos fuerit ad inducendam consuetudinem, hic non esset obligandus ad veniam de illo petendam, quia et non deest alicujus excusationis ratio, et si aliquid scandali datum fuit, id satis per piam, manifestamque in suscipiendis sacramentis diligentiam sarciri videtur.

(D. Lig. lib. 3, tr. 3. — Gury de Præcept. Decal. cap. II.)

Ex Sacra Liturgia.

Quæstio I.

1.° *Quid veniat in præsenti disciplina sub nomine Oratorii?*
2.° *Utrum Oratorium differat a Capella?*
3.° *Quid necessario et essentialiter requiratur ut Oratorium sit publicum?*

Ad Primum = Quid veniat in præsenti disciplina sub nomine Oratorii?

Oratorium, ait divus Augustinus, ex eo ad quod factum est nomen accepit: et ideo, in primis Ecclesiæ sæculis, loca omnia exclusive electa ad Deum laudandum et exorandum, vel psalmorum concentu, vel sacrificiorum oblationibus, Oratoria generice appellabantur.

Processu temporis, hæc nimis ampla significatio limitari cœpit; et, ut diversæ sacræ ædes inter se, ex ipso nomine, distinguerentur, alia nomina invecta fuere, *Martyrii* scilicet ad sepulcra martyrum indicanda; *Basilicæ* vel *Templi* ad ædificii magnificentiam et amplitudinem exprimendam; sed frequentius nomen invaluit *Ecclesiæ* ad locum designandum in quo multi simul fideles, orationis et sacrificii gratia, congregarentur. Et ita factum est, ut, sexto Ecclesiæ sæculo, vel etiam quinto, Oratorii nomen reservaretur ad indicanda parva sacella, tum publica, tum privata, tam lapideis, quam ligneis tabulis, sive in agris super Sanctorum reliquias, sive prope domos in civitatibus, sive intra septa monasteriorum, vel alio quocumque loco, ædificata. A nono vero sæculo ad nostra usque tempora, hoc Oratorii nomen constantius retentum fuit ad privata tantum sacella designanda, et quasdam parvas sacras ædes in quibus parochialia officia celebrari nequibant, aut quæ, ob loci angustiam, neque Basilicæ, neque Templa vocari decebat.

In præsenti ergo disciplina, sub Oratorii nomine veniunt Domestica Sacella, et publicæ quædam Ecclesiolæ, quæ ut sacella se habent, vel quia ambitu valde angustæ, vel quia, loco parum obvio ædificatæ, rarius aperiuntur, et a paucis frequentatur.

Ad Secundum = Utrum Oratorium differat a Capella?

Tribus præsertim Capella differt ab Oratorio, scilicet, 1.° Nominis etymologia, 2.° Vocis antiquitate, 3.° Significationis amplitudine.

1. Nominis etymologia = Oratorii nomen, ut jam diximus, a loci usu naturaliter est derivatum: Capellæ vox a circumstantiis omnino accidentalibus originem duxit. Ecce enim quid super hoc nos doceat historia. Francorum Reges, inter plurima Sanctorum pignora quæ in proprio palatio servabant, præcipuo cultu ea prosequebantur quæ ad magnum Turonensem Episcopum Martinum, a Francis omnibus singulari honore semper habitum, pertinebant. Capam ipsius Sancti Antistitis summa cura in palatio servabant, et quocumque pergerent pugnaturi, eam, quasi tutissimum adversus

hostes præsidium, per spectabiles presbyteros, deferri ad castra desiderabant. Ut ergo sancti Martini Cappa inter præcipuas reliquias computabatur, ita, vel ab hujus reliquiæ specificatione, vel a capsella, sive theca argentea in qua hæc reliquia custodiebatur, vel a capreis pellibus quibus ipsa operiri solebat, capellæ nomen accepit, non tantum sancti Martini Reliquia, verum etiam portatile Oratorium in quo ipsa custodiebatur, nec non præsbyterorum chorus qui ad ipsius obsequium et conservationem continuo vigilare debebant. Ita, sensim sine sensu, factum est ut Oratorio, etiam generice sumpto, Capellæ nomen derivaret, et presbyteri Oratorio aliquo addicti Capellanorum nomine distinguerentur.

II. Vocis antiquitate. Quod de Capellæ nominis etymologia asseruimus, recens hujus nominis usus plane confirmat. Archeologi enim omnes in his conveniunt 1.° quod, non aliter quam in Gallia, cujus ad fidem conversio ad quintum sæculum refertur, primum Capellæ nomen audiri cœperit, 2.° quod, non nisi septimo Ecclesiæ sæculo, Capellæ nomen inveniatur ad Oratorium significandum. Hoc ex Marculfo recolitur, cui libenter adhæret Mabillonius, et perceleber Gatticus, in suo de Domesticis Oratoriis doctissimo opere, certissimum putat.

III. Significationis amplitudine. Post Carolina tempora magis magisque increbrescente Capellæ denominatione, Oratorii nomen ita parum frequenter est usurpatum ut sæculo XIII, sicuti colligitur ex Synodo Exoniensi, habito anno 1287, inter Capellas et Oratoria hæc discretio facta fuerit, ut domestica sacella *Oratorii* nomine, publica vero *Capellæ* titulo donarentur.

Postremis vero temporibus, diversissimo in sensu Capellæ nomen acceptum est, scilicet ad significandum 1.° Aliquando modicam Ecclesiolam, vel domi, vel in agro, vel etiam in urbe, ad aliquorum commodum ædificatam. 2.° Aliquando Ecclesiam Parochialem in quam antiqua Capella conversa fuit, uti Romæ evenit Capellæ sancti Silvestri ad Capitulum S. Mariæ Transtiberinæ pertinentis, ad cujus parochianos, ineunte sæculo XIII, suam scribebat Epistolam Honorius III. 3.° Aliquando Ecclesiam, etiam Collegiatam, jurispatronatus, uti facile est videre in residentiali Principum ac Regum palatio. 4.° Aliquando sacrarum Solemnia quæ coram Papa et Cardinalibus aliisque magnis Principibus ac Prælatis peraguntur 5.° Aliquando Altare in quo vel ædificans, vel dotans, juspatronatus exerceat: et Capella sic sumpta etymologice dicitur *Capellania*. 6.° Communius vero, pro Capella intelligitur cujuscumquæ formæ et amplitudinis Sacellum in satis ampla ecclesia constructum, tum ad fidelium pietatem erga Christi et Beatæ Virginis mysteria et diversorum ordinum Sanctos fovendam, tum ad plurium missarum simultaneæ celebrationi commodius consulendum.

Ad Tertium = Quid necessario et essentialiter requiratur ut Oratorium sit publicum?

Duo sunt Oratorii publici constitutiva, uterque tam essentialia ut unum sine altero Oratorium publicum constituere nequeat. 1.° Ut locus sit vere sacer. 2.° Ut ad illud omnibus Christi fidelibus indiscriminatim pateat aditus.

Primum constitutivum Oratorium Publicum supponit, sed non facit, cum

dari possit ut locus sit vere sacer, quin publicus dici queat; uti evenit in domibus episcopalibus et monasteriis.

Secundum vero, maxime si primo adjungatur, Oratorium vere Publicum et constituit, et demonstrat.

I. Ut locus sit vere sacer. Idest, quod non tantum altare, uti evenit in Oratorio privato, verum etiam ædes in qua est altare, vel mandante, vel saltem annuente Episcopo, sit constructa; per consecrationem, vel saltem benedictionem episcopalem, divino cultui tantum dicata; hinc Ordinarii jurisdictioni subjecta; immunitate, ubi viget, per triginta in circuitum passus gaudens; locus denique qui, absque Ordinarii licentia, a nullo privato homine licite dirui, vel in alios usus converti possit. Ratio hujus constitutivi triplex est: 1.° quod, ordinarie loquendo, sacræ functiones non nisi in loco jam sacro peragi possunt, 2.° quod, quidquid semel Deo dicatum est, nequit amplius ad profanos usus converti, 3.° quod nihil majus dedecet quam privato homini fiat libertas convertendi cras in profanos usus quod hodie ad sacra solemnia publice deservivit.

II. Ut ad illud omnibus indiscriminatim fidelibus pateat aditus. == Hoc enim stricte requirunt 1.° Divini cultus natura, 2.° Juridicus denominationis sensus, 3.° Sæpe repetita Ecclesiæ dispositio.

1.° *Divini cultus natura:* Divinus cultus, natura sua, publicus est, idest omnibus Christi fidelibus indiscriminatim communis. Locus ergo in perpetuum divino cultui tantum dicatus, ex natura sua, cuique semper patere debet.

2.° *Juridicus denominationis sensus:* Publicum in jure definitur id quod in publico usu habetur, vel publico usui destinatur. Hinc Franciscus a Mustazo apud De Bonis, Oratorium publicum illud definiit quod in aliquo loco publico, ad instar Basilicæ, vel Capellæ, auctoritate Episcopi est fundatum, et habet ostium patens in publica via.

3.° *Sæpe repetita Ecclesiæ dispositio:* Illustrissimo Cardinali Bevilaqua, qui Capellam publicam, in sua Tusculana Villa, construendi licentiam petebat, Sacra Cardinalium Congregatio, cujus ipse erat Præfectus, sub die 13 Novembris 1626, responsum fecit, ejus precibus annui; sed hac attenta perentoria conditione, scilicet: « Si construatur in loco ad quem omnibus » pateat aditus, dictusque card. Bevilaqua publico instrumento se obliget » semitam qua itur ad Capellam cuicumque liberam in perpetuum servare, » atque illius dominio et juri renuntiet. » Hinc notanda sunt conclusionalia Ferraris verba in sua Prompta Bibliotheca: « Quod Oratorium publicum de» beat habere portam continuo apertam correspondentem in publicum, de» claravit Sacra Congr. Episcoporum, die 22 Septembris 1719, et Sacra » Congr. Concilii in Savonensis die 28 Julii, et 9 Sept. 1724, et sæpe alibi. »

Huc usque dictis firmissime stantibus, diffitendum non est, aliquando in publicis Oratoriis licitum esse, ut in aliis Ecclesiis, legitima tamen causa, admissis tantum certis ac determinatis personis, januis clausis sacra persolvere. Hoc enim a Tridentino Concilio non vetatur, cum ab eo præcipiatur non quod publice, sed quod in Ecclesia, seu in loco publico, celebretur.

Fatemur etiam fuisse olim, et adhuc extare aliqua Oratoria quæ jure ut publica habentur, etiamsi ad illa ingressus non pateat nisi per atria et etiam

per scalas privatæ domus uti extat Romæ intra ambitum Palatii excel. Familiæ Altempsianæ; sed quatuor in hoc sunt notanda.

1.° Quod, ubi deficiat immemorabilis consuetudo, domini atrii, vel palatii in quo publicum extat Oratorium, semper compelli debeant ad liberum ad ea transitum omnibus relinquendum.

2.° Quod dicta Oratoria, nequeant publica reputari nisi adnexum habeant ecclesiasticum beneficium quod in titulo conferatur: quæ conditio necessarìo non requiritur pro Oratoriis in loco publico ædificatis.

3.° Quod hùjuscemodi Oratoria publico ingressu carentia tam ægre ab Ecclesia tolerantur, ratione invectæ immemorabilis consuetudinis, ut novæ eorum erectiones absolute vetentur, uti colligitur ex responsione a Sacra Concilii Congregatione facta sub die 23 Julii 1616 ad quamdam Comitissam quæ de Oratorii Publici privilegio in sua privata domo istanter supplicabat.

4.° Quod ab hac regula sunt excipienda 1.° Oratoria erecta in Seminariis, Conservatoriis, Hospitalibus et publicis carceratorum Reclusoriis; quia in praxi habentur tamquam publica, cum ista loca dici non possint privatæ domus. 2.° Oratoria erecta in Palatiis Episcoporum et Cardinalium: immo notandum est quod Episcopi possunt celebrare, vel celebrare facere, se præsentibus, in omnibus domibus, etiam extra Diœcesim, ubi inveniuntur, causa non tantum visitationis, verum etiam itineris aut moræ. Sic enim declaravit Bulla *Apostolici muneris* Innocentii XIII, a Benedicto XIII confirmata.

Ad hujusce materiæ complementum, absque utilitate non erit illa adnotare quæ, etsi ad Publici Oratorii essentiam non pertineant, in dubio tamen Publicum a Privato distinguunt. Hæc autem sunt:

1.° Si Oratorium altare habeat fixum et stabile: exceptis tamen Oratoriis Episcoporum et Monasteriorum, quibus fixi altaris decus non denegatur, etiamsi illorum Oratoria privata omnino per se evadant.

2.° Si omnibus indiscriminatim fidelibus, præcipue in maximis anni solemnitatibus, pro missæ sacrificio, de more aperiatur.

3.° Si, ad populum convocandum, publice expositam, et præcipue si supra turrim ad hoc constructam, habeat campanam.

4.° Si alicujus Sancti nomine distinguatur, ac, ejus die recurrente, solemne festum de eo agatur.

5.° Si fixa gaudeat dote, vel certum habuerit capellanum, cujus capellania in titulum conferatur.

Quando igitur, nec publico instrumento, nec quovis alio æquipollenti chirographo, alicujus Oratorii originaria publicitas probari non possit, si aliqua, etiam unica, ex quinque nuper adnotatis, gaudeat prærogativa, potius quam privatum, publicum esse censendum, Canonistæ omnes et tenent, et docent.

Quæstio II.

1.° *Quale Oratorium dicatur Privatum?*
2.° *Quæ notanda occurrunt relate ad* domum habitationis *in qua Indultarius uti potest privati Oratorii privilegio?*
3.° *Et an hoc Oratorium visitandum, aut benedicendum sit ab Episcopo?*

Ad Primum. = Quale Oratorium dicatur Privatum.

Tres præsertim sunt notæ per quas Privatum Oratorium distinguitur a Publico = 1.° Aditus omnino privatus, 2.° Designatio personarum quæ Indultarii beneficio participare possunt, 3.° Carentia campanæ.

1,° Aditus omnino privatus = Privatum dicitur illud Oratorium ad quod non pateat aditus nisi per locum simpliciter privatum: nisi enim aditus ad Oratorium immediate respondeat viæ vere publicæ, vel quæ, consuetudinis lege, pro tali habeatur, publicum sane numquam erit.

2.° Designatio personarum quæ Indultarii beneficio participare possunt = Privatum habetur illud Oratorium quod unius tantum familiæ, aut aliquorum tantummodo usui inservit, sive intra privatæ domus ambitum illud sit, sive intra Monasteriorum, aut Xenodochiorum septa, vel stabili modo ædificatum, vel transitorie paratum.

3.° Carentia campanæ = Cum campana, quomodocumque parvula, in loco eminenti collocata, sit veræ publicitatis signum (nam, ex se, destinatur ad publicum monendum de tempore quo sacra peraguntur, ut ad eorum celebrationem libere omnes conveniant), et publicis tantum Oratoriis illa permittatur, etsi non jubeatur, sic cujuscumque campanæ carentia est, ex se, potissimum Oratorii tantum privati indicium.

Ad Secundum = Quæ notanda occurrant relate ad domum habitationis in qua Indultarius uti potest privati Oratorii privilegio?

Cum Indulti clausulæ relate ad domum habitationis multipliciter variari possint, verba omnia Concessionis accurate perpendi debent, ne quis aliud audeat facere præterquamquod manifeste a Romano Pontifice indultum sit.

De more vero, Indulti clausulæ, in casu, ad has tres reducuntur.

1.° *In domo tuæ solitæ habitationis, in diœcesi tali existentis.*
2.° *In domo tuæ habitationis, absque voce* solitæ.
3.° *In privatis domorum vestræ habitationis Oratoriis.* =

I. Ad liciti ergo privilegii usum, si clausulæ verba prima sint, scilicet *in domo tuæ solitæ habitationis,* Indultarius, per majorem, vel saltem mediam anni partem, certam domum habitare tenetur, vel animum saltem habere eam habitandi. Ex hoc legitime infertur quod iste Indultarius duplicem ad summum habere potest habitationis domum privilegiatam, dummodo tamen ex æquo in illis commoretur morali utique modo.

Verba vero *in Diœcesi tali,* si dubitare licet an restrictive, seu taxative, apposita sint, vel potius tantum demonstrative, non privant Indultarium privilegio, etiamsi mutet domicilium, et illud transferat etiam in aliam Diœcesim. Ratio est, quod, cum privilegium hoc sit personale, seu immediate

concessum personæ ratione sui, sequi debet personam quocumque se transferat. Hoc in sensu, et non aliter, intelligenda est localis omnino accessoria indicatio *in Diœcesi tali*, etiamsi aliis verbis, sed idem sonantibus, apposita in Indulto inveniretur·

II. Si clausulæ verba sint absque voce *solitæ*, ut secundo adnotavimus, privilegiatus, nedum duplicem, sed triplicem, aut etiam quadruplicem, domum habitationis habere poterit in quibus licite, non tamen eodem tempore, privilegio frui. Ut vero multiplices Indultarii domus tales sint ut in voce *tuæ habitationis* dici possint comprehensæ, hæc duo sufficiunt.

1.° Ut domus, sive in civitate, sive ruri existat, nemini locetur, meræque habitationi privilegiati vel actu deserviat, vel ad hoc parata semper existat.

2.° Ut in illa domo de qua nunc loquimur, aliquo tempore privilegiatus commoretur, quin requiratur ad executionem Indulti ut diutius ibi degat: secundum enim commune effatum: *In favorabilibus ampliandum.*

III. Si tandem clausulæ verba sint illa quæ postremo posuimus, scilicet *n privatis domorum vestræ habitationis Oratoriis* = Privilegiati videntur liberam facultatem habere Oratoriis privatis in quibuscumque eorum domibus utendi, dummodo hæ domus sint non aliorum, sed principaliter eorundem privilegiatorum habitationi destinatæ, et in iisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, licet uno tantum, alterove ad summum mense in istis domibus eos habitare contingat. Gatticus insuper, cum prudentibus, judicat quod tales privilegiati contra Indultum non facerent, etiamsi privilegio uterentur in aliqua eorum domo quæ ab iis brevibus morulis sæpe sæpius repetitis in anno integrum saltem spatium unius mensis habitationis constituant.

Ad Tertium = An visitandum aut benedicendum sit ab Episcopo?

Quod Oratorium privatum visitari et approbari debeat ab Episcopo, vel ejus Delegato, nemini dubitare licet, quia in Apostolico Indulto semper hæc clausula habetur = *per Ordinarium loci prius visitandi et approbandi:* quæ verba aperte indicant, non posse valide privilegio frui, nisi Ordinarii, vel ejus Delegati, præcedat visitatio et approbatio, nec non licentia, ad suum libitum duratura. Notandum tamen quod Ordinarius, post primam visitationem et approbationem, de jure non potest amplius Oratoria privata visitare, nisi in casu quo, facta ad ipsum accusatione, prudenter dubitet quod in eisdem Oratoriis non exacte serventur ea quæ, juxta Indultum, servanda sunt.

Hæc autem unica visitatio et approbatio non tantum requiritur cum primo ab Indultario Oratorium constituitur, sed etiam toties quoties idem Indultarius, una cum suo domicilio, Oratorium transfert ab una in aliam diœcesim, et probabilius etiam de una in aliam domum intra eandem civitatem, seu de uno loco ad alium in eadem domo. Ratio est 1.° quia prima approbatio non se extendebat ad novum Oratorii locum; 2.° quia in hac mutatione aliquid irrepere potest quod et indecens sit, et contra Indulti tenorem dici possit.

Relate tandem *ad Benedictionem* Oratorii Privati per Episcopum, vel ejus

Delegatum, respondeo *Negative*. Etsi enim antiquitus nedum benedictione, verum etiam consecratione stricte tali, opus fuerit ad rite missas celebrandas in quocumque Oratorio, in præsenti tamen disciplina, exceptis Oratoriis privatis Episcoporum, Religiosorum, et hujusmodi, quæ stabiliter divino tantum cultui dedicantur, certum est episcopalem benedictionem non requiri pro Oratorio privato generice sumpto, tum quia Papale Indultum nullam facit de benedictione mentionem; tum etiam quia *in una Civitanensi, ad dubium* 10 S. R. C. *die* 11 *Mart.* 1846, *N.* 4565, declaravit *non posse* Episcopum privatum Oratorium benedicere, quum preces in Rituali recensitæ non sint adhibendæ nisi pro Benedictione Ecclesiæ novæ, vel Oratorii publici. Ratio est quia, per simplicem benedictionem, non minus quam per solemnem consecrationem, loca benedicta vel consecrata, divino tantum cultui dicata irrevocabiliter existunt: quod de privato Oratorio, ex se, prædicare non licet. Quanta enim deformitas foret, Oratorium Deo in perpetuum dedicare, quod vel ad libitum privilegiati possit in usus communes converti, vel saltem, per illius mortem, ineptum reddi sacrificio? Sufficiat itaque Oratoria privatorum domorum aqua lustrali adspergere, et super illa recitare formulam precum quam pro nova benedicenda domo Rituale proponit.

QUÆSTIO III.

1.° *Quænam sacræ functiones in privato Oratorio fieri prohibeantur?*
2.° *Et quænam personæ, per Missam in privato Oratorio celebratam, præcepto Missæ audiendi in diebus festis satisfacere possint?*

Ad Primum QUÆNAM SACRÆ FUNCTIONES IN ORATORIO PRIVATO FIERI PROHIBEANTUR?

Cum in privilegio apostolico de Oratorio privato nihil omnino aliud præterquam unicam in die missam, et quidem privatam, concedi soleat, nisi aliquid aliud expresse Indultario concedatur, apertissimum est in Oratorio privatæ domus fieri prohiberi non tantum illas sacras functiones quæ stricte de jure parochiali dicendæ sunt, uti celebrationes Matrimoniorum, Baptismata solemnia, Paschales Communiones et ecclesiasticæ sepulturæ, sed omnes etiam illas quas in minoribus Ecclesiis, vel in Oratoriis publicis, vel etiam in privatis societatum laicorum Sacellis, Sacra Rituum Congregatio, die 10 Dec. 1703 definivit, et Clemens Papa XI die 12 Januarii 1704, approbavit libere fieri posse, absque respectivi parochi injuria, uti sunt celebrationes Missarum Solemnium tam pro Vivis, quam pro Defunctis, Candelarum, Cinerum et Palmarum distributiones, Festivitatum et Jejuniorum in hebdomada occurrentium denunciationes, et his similia, quæ, ex ritu ecclesiastico, non nisi inter missarum solemnia, et tantum a sacerdote sacris vestibus induto ubique fiunt.

Quamobrem, si ad instructionem Privilegiati ejusque familiæ, sacerdos missam celebrans in Oratorio privato verba salutis annunciare voluerit, ac

de proximis vel currentibus festis et jejuniis mentionem facere, egregie quidem faciet, sed, deposito prius omni signo publici ministerii, exutus scilicet omnibus sacris vestibus quæ ad locum publicum et vere sacrum exclusive pertinent, et fideles in Oratorio privato collectos alloquatur ut privatus instructor, sive catechista, nulla alia indutus veste præter domesticam et viatoriam.

Insuper, in dicto privatæ domus Oratorio, post Encyclicam Benedicti XIV ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos Poloniæ, sub die 2 Junii 1751, quæ incipit = *Magno cum animi nostri dolore, etc.*, non possunt amplius licite ministrari sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, etiam extra tempus paschale, sine speciali Ordinarii facultate, si infirmos excipiamus et alias graves causas ab Episcopo cognoscendas et approbandas. Nam, ad præcavenda gravissima scandala quæ facillime irrepere possunt pro danda absolutione et accipienda Communione, Episcopi non solent approbare nisi ea loca quæ publica et sacra sunt. Nil ergo proderit privilegium a Romano Pontifice obtentum de Missa in Oratorio privato celebranda, nisi pro Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramentis ministrandis, vel speciale datum fuerit ab ipso Pontifice privilegium, quod non nisi magnis Principibus, suisque cognatis, concedi solet, vel specialis accesserit licentia ex parte Ordinarii, ad quem naturaliter spectat invigilare ut rite semper, et cum omni decore, quocumque suæ Diœcesis loco, sacramenta ministrentur.

Ex dictis facile est inferre numquam posse Eucharistiam asservari in privatis Oratoriis in quibus, præter altare, nihil est sacri. In privatis vero Oratoriis quæ, ad modum Ecclesiæ vel Capellæ publicæ, sunt ab Episcopo benedicta, hoc nequit fieri nisi speciale habeatur Apostolicum Indultum, quod de more non conceditur nisi Religiosorum communitatibus, gravissimis concurrentibus causis. Immo, etiam pro Ecclesiis quæ non sint neque parochiales, neque collegiatæ, neque conventuales, semper requiritur Apostolicum Indultum ad Eucharistiam assidue asservandam. Ex voce *assidue,* vel *habituali,* qua utuntur tractatores, videtur posse inferri quod, pro Eucharistiæ asservatione tantum *temporanea,* possit aliquando sufficere Ordinarii licentia.

Ad Secundum = QUÆNAM PERSONÆ PER MISSAM IN PRIVATO ORATORIO CELEBRATAM MISSAM AUDIENDI IN DIEBUS FESTIS SATISFACERE POSSINT?

Per Missam in Oratorio domestico celebratam festivo præcepto illæ personæ tantum satisfacere possunt quæ in Indulti clausula designantur. De more autem talis clausula sequentibus verbis exprimitur. *In tua et familiæ tuæ, et (quoad Oratoria ruri existentia) etiam in hospitum tuorum nobilium præsentia, celebrare facere.... concedimus et indulgemus...., non obstantibus, etc.*

Nomine autem *familiæ* comprehenduntur Pater, Mater, Uxor, Filii et Filiæ, etiamsi adoptivi, Privilegiati, vel etiam post Indultum geniti, per legitimum tamen matrimonium, aut, saltem post ipsum, legitimati: nec non Nurus, Gener, Nepotes, aliique consanguinei et affines ad quartum usque gradum; dummodo tamen isti omnes habitent cum indultario, et ipsius sint commensales: non vero famuli et famulæ, quia isti et istæ, si servitio ne-

cessarii non sint tempore Missæ, sub nomine familiarium expresse excluduntur et exceptantur a Papa per hanc clausulam separatam et distinctam: *Volumus autem quod familiares servitiis tuis, tempore dictæ Missæ, actu non necessarii, ab obligatione audiendi Missam in ecclesiis, diebus festis de præcepto, minime liberi censeatur.*

Et quidem prudentissime Romanus Pontifex ad certos limites coarctare solet Indultum respectu familiarium, ne ad publicas Ecclesias fidelium frequentia immoderate minuatur. Immo, quando Indultum, vel infirmitatis, vel alterius generis causa, extenditur etiam ad dies solemniores, quod rarissime fit, tunc Romani Pontifices familiarium numerum solent determinare, et *ad unum tantummodo* limitare favorem, quia in majoribus anni festivitatibus ægre patitur quod in privatis domibus sacrificia offerantur, et plures a publicis Ecclesiis, cum cæterorum admiratione, impune absint.

Ex dictis patet quam longe a veritate aberrent illi doctores qui contendunt libere posse famulos et famulas, marte proprio, celebrare facere missam, eamque audire pro præcepto satisfacendo diebus festis in Oratorio privato, sine præsentia personarum quarum respectu Indultum concessum fuit.

Hoc tantum abest a veritate ut nedum famuli et famulæ hoc facere nequeunt, sed ne quidem filius Indultarii hoc facere potest absente patre; quia Benedictus XIV, § 15 memoratæ Epistolæ ad Episcopos Poloniæ, statuit non licere celebrare Missam in absentia domini, ac præsente sola familia, etiamsi præsens sit aliquis, sive ex filiis, sive ex consanguineis; et decernens non posse vigore Indulti missam celebrari in privatis Oratoriis quando eidem missæ actu non interest aliquis ex iis quibus principaliter Indultum concessum est. Indultum vero principaliter concessum dici debet iis tantum quibus Breve dirigitur, personis nimirum illis quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur. En ejusdem Pontificis verba = *Volumus autem quod nati, et consanguinei, et affines prædicti unicam dictam missam, vobis quidem præsentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Hinc privatum Oratorium in quo missa celebrabatur absente domino cui Indultum principaliter concessa fuerat, valide ab Episcopo fuisse suspensum rescripsit Sacra Concilii Congregatio, in una Marsicensi, sub die 3 Dec. 1740 (*ad dub.* II) *Ferraris, Orat. Priv., N.* 54).

Pauca nunc tandem de hospitibus participantibus. Sub hospitum nomine illi veniunt qui domi commorantur tamquam extranei accepti a domino privilegiato, qui quidem sunt commensales, sed ex occasione temporanea et ad certum tantummodo tempus.

Sed, relate ad istos participantes, ne nimium apostolica gratia dilataretur, facultas festivo præcepto satisfacendi, ad solos *hospites nobiles* limitari solet, uti jam diximus, et ad Oratoria tantum ruri existentia.

Nobilitas vero hospitum, sive ex genere sit, sive ex privilegio, sive ratione matris tantum, sive causa dignitatis, seu gradus, sive quocumque modo sit, semper sufficit ad participandum privilegio, dummodo vere nobiles appellari possint.

Nec est prætereundum quod, juxta peritissimos hujus materiæ tractatores (*Gatticus, c.* 25, *N.* 30) ad participandum Indulto sufficere potest ut aliquis hospes, pransurus tamen, ad privilegiatum venerit ex alia parochiali ditione. Dixi, *ex alia parochiali ditione;* nam, quoad hospites in eadem

privilegiati villa commorantes, etiamsi ad privilegiati domum pransuri accedant, ad eos privilegium festivo præcepto satisfaciendi extendi nequit, ne, sine legitima causa, Ecclesiæ publicæ deserantur.

Quæstio IV.

Minores ecclesiæ (vel Sacella) quæ parochiali ecclesiæ, utpote subsidiariæ, adnexæ reputantur, tenenturne parochiali ecclesiæ se conformare quoad Officium et Missam, saltem in Festo Titulari? Vel quæque stare potest, immo debet, communis Kalendarii indicationibus, mutatis tantum quæ sunt mutanda pro particulari cujuscumque ratione?

Quomodo se geret sacerdos qui, ecclesiæ parochiali addictus, ratione vel beneficii, vel canonicatus, vel animarum curæ, Missam celebrare debet in subsidiaria ecclesia, in qua, juxta commune Kalendarium, Officium celebratur omnino diversum ab illo quod in parochiali persolvitur?

Ut bifariæ huic quæstioni, quantum par est, satisfiat, duo necessario sunt perpendenda, unum scilicet quoad ecclesiam parochiali subjectam, alterum quoad sacerdotem in subjecta ecclesia celebrantem.

I. Quoad ecclesiam parochiali subjectam.

Quæcumque ecclesia, sive major, sive minor, quoad Officium et Missam, semper stare debet Kalendario Diœcesano, nisi occurrente officio ipsi ecclesiæ omnino proprio. Officia autem *propria* cujuscumque ecclesiæ singillatim consideratæ, præter Patronum regni, provinciæ, civitatis, diœcesis, et Dedicationem ecclesiæ cathedralis (quorum Officium in omnibus regni, provinciæ, civitatis, diœcesis, ecclesiis, semper est celebrandum, et quidem ritu classico), *officia*, inquam, Ecclesiæ *propria* sunt Titulare et Dedicatio ipsius ecclesiæ, Sanctus de quo habetur insignis Reliquia, vel cujus Officium, ex speciali concessione, vel legitima consuetudine, celebratur.

Jam modo, cum Officia alicui ecclesiæ vel propria, vel concessa, *ex decr. Urbani VIII et S. R. C. sub. die* 28 *Oct.* 1628, nunquam possint extendi ad alias ecclesias, neque ad alios sacerdotes qui sub concessione non comprehenduntur, *juxta decr.* 15 *Sept.* 1668 = 22. *Apr.* 1741 = 1 *Dec.* 1742 = 26 *Aug.* 1752, evidens est consequens, quod, Minores ecclesiæ, quoad Officium et Missam, Officio et Missæ parochialis ecclesiæ cui sunt subjectæ non possunt se conformare, etiamsi agatur de Parochiæ Titulari, sed semper stare debent communis Kalendarii indicationibus, nisi agatur, ut jam diximus, de Patrono diœcesis, vel civitatis, aut de Dedicatione ecclesiæ cathedralis, quorum Officium, utpote pro omnibus de præcepto, in diœcesano Kalendario semper notatur.

II. Quoad Sacerdotem in subjecta ecclesia celebrantem.

Hujus quæstionis solutioni quinque sunt præmittenda.

1.° Canonici et Beneficiati choro obligati tenentur recitare omnia officia ecclesiæ cui sunt addicti, et eodem ritu quo in choro dicuntur, ubicumque ipsi existant = *Decr.* 30 *Aug.* 1602, 12 *Nov.* 1831. =

2.° Beneficiati aliquo perpetuo gaudentes beneficio, etiamsi ad chorum non obligati, *ex decr.* 5 *Aug.* 1690, recitare debent officia Sancti Titularis, non Beneficii, sed Ecclesiæ cui Beneficium adnexum fuit, nec non ejus Dedicationis et insignis Reliquiæ, dummodo spectet ad Sanctum in Martyrologio jam recensitum, *juxta decr.* 16 *Maji* 1744. = 15 *Mart.* 1774. Non autem tenentur, sed possunt recitare Officia quæ in choro dicuntur ex consuetudine et speciali concessione: *et hoc ex decr.* 30 *Aug.* 1602.

3.° Simplices Capellani qui ad quotidianam missæ celebrationem tantum adstringuntur non possunt Officia particularia Titularis, Dedicationis, Reliquiæ, aut alia specialis ecclesiæ in qua celebrant, recitare, *juxta decr.* 5 *Oct.* 1697, nisi eidem *stricte* sint *adscripti,* aut, aliquo modo, ei *de gremio* inserviant = *decr.* 11 *Maji* 1595.

4.° *Stricte adscripti* censendi sunt non tantum Parochus, Canonici et Beneficiati, sive ad chorum obligati, sive non; verum etiam, Vicepastor, Deservitor, Custos, aliique omnes qui a legitima competente Auctoritate, idest ab Ordinario loci, alicui ecclesiæ sunt adscripti, ut in ea Sacramenta quædam ministrent, aut alias functiones constanter peragant; non vero ii qui, cum in Parochia, vel alibi, ex propria electione habitent, in illa ecclesia celebrant, confessiones excipiunt, aut aliud quodcumque sacrum ministerium exercent. Ratio est quia isti non a competente Auctoritate, sed a propria tantum voluntate, a qua numquam vera adscriptio exsurgere potest, tali ecclesiæ, potius quam alteri, adscripti existunt.

5.° Sacerdotes qui, ecclesiæ parochiali strictim adscripti, in ecclesiis parochiali subjectis, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta administrant, Concionem habent, Cathechismum explicant, et alia ecclesiastica munia explent, etiamsi istis subjectis ecclesiis, cum permissione aut delegatione Parochi, pro commoditate populi, constanter inserviant, *ex decr.* 12 *Nov.* 1832, numquam sunt reputandi dictis ecclesiis stricte adscripti, cum ab Ordinario loci, non ecclesiis parochiali subjectis, sed ecclesiæ vere parochiali, ubi infantes baptizantur, matrimonia celebrantur, defuncti funerantur, adscripti fuerint.

Hisce præmissis, quæstioni QUOMODO SE GERET SACERDOS QUI ECCLESIÆ PAROCHIALI ADDICTUS RATIONE VEL BENEFICII, VEL CANONICATUS, VEL ANIMARUM CURÆ, MISSAM CELEBRARE DEBET IN SUBSIDIARIA ECCLESIA, IN QUA, JUXTA COMMUNE KALENDARIUM, OFFICIUM CELEBRATUR OMNINO DIVERSUM AB EO QUOD IN PAROCHIALI PERSOLVITUR? nulla alia præberi potest responsio præter sequentem.

Sacerdos de quo in casu

Quoad Officium stare debet ecclesiæ parochiali cui *stricte* est adscriptus.

Quoad Missam vero stare debet Kalendario et ritui ecclesiæ in qua Sacrum facit; sed cum hac distinctione.

1.° Si agatur *de Missis Cantatis,* celebrans debet suum officium, etiam classicum, prorsus negligere, et se conformare officio ecclesiæ, cantando Missam de die, Votivam, aut de *Requiem,* ad formam et ritum ejusdem ecclesiæ: quod et facere debet in Missa Conventuali celebrans in ecclesiis Monialium quæ ad Chorum tenentur, *juxta decr.* 15 *Dec.* 1591 = 3 *Oct.* 1699. = 29 *Jun.* 1752 = 7 *Maj.* 1746.

2.° Si agatur *de Missa privata,* Sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, se se conformare debent ecclesiæ in qua celebrant duobus in casibus,

scilicet 1.° quando ibi festum celebratur cum solemnitate et concursu populi, *juxta decr.* 11 *Jun.* 1701 = 29 *Jan.* 1752. = 22 *Mart.* 1817. = 2.° quando in illa ecclesia celebratur festum duplex (solemne), aut æquivalens, quod excludit Votivas, et color officii ecclesiæ sit diversus a colore officii celebrantis = *Decr.* 4 *Sept.* 1745. = 7 *Maj.* 1746. = 7 *Sept.* 1816.

Si autem in ecclesia in qua celebratur, non peragatur festum cum solemnitate et concursu; et officium ecclesiæ, atque celebrantis sit ejusdem coloris, sacerdos superveniens, officio quod ipse recitavit, potius quam officio ecclesiæ ubi Sacrum facere intendit, potest suam missam conformare, sive æqualis, sive inæqualis sit officium, vel ritus ecclesiæ et celebrantis. *Decr.* 22 *Mart.* 1817. = 12 *Nov.* 1831.

Ratio summaria hucusque dictarum distinctionum est, quia,

Officium afficit personam, eamque sequitur quocumque existat.

Missa vero, saltem quoad colorem, afficit locum in quo celebratur, omnesque in eo convenientes, quasi hospites in alterius domo, ipsi semper debent se conformare.

Quæstio V.

Quœnam sunt omittenda, vel mutanda in Missis Defunctorum? Et,

An liceat Communionem distribuere, tam extra, quam intra Missam, cum paramentis nigris?

Ad Primum. = Quæ sunt omittenda, vel mutanda in Missis Defunctorum?

Cum Missæ Defunctorum omnem excludant jucunditatis et lætitiæ significationem, plura in ipsis notanda occurrunt quæ vel omnino sunt omittenda, vel diversimode ab iis quæ in Missis Vivorum præscribuntur sunt adimplenda. Ut vero hæc et illa clarius innotescant, ea distinguimus, juxta quæstionem, in omittendis et in mutandis. Sit ergo.

I. Quoad omittenda, ea ad septem sequentia contrahi possunt.

1.° Post *Ingressa* nunquam dicitur *Gloria in excelsis.*

2.° Ad titulum Epistolæ et Evangelii nunquam petitur Benedictio.

3.° Lecto Evangelio, celebrans non osculatur librum, nec subjungit, *Per evangelica dicta,* et subsequens *Dominus vobiscum;* sed immediate subdit *Requiem sanctam,* etc., absque *Pacem habete,* cum unico *Dominus vobiscum* ante orationem, vel orationes Offertorio præeuntes.

4.° Ad Offertorium non producitur signum crucis super aquam in calicem infundendam, nec proferuntur verba *In nomine Patris,* etc., quæ ad ipsum referuntur.

5.° Post Offertorium omittitur III oratio, idest, *Suscipe sancta Trinitas,* etc., ut in omnibus feriis, quia omnes Missæ de *Requiem* habentur ut feriales. Eademque ratione non dicitur *Credo.*

6.° Ante Communionem omittitur I Oratio *Deus, qui dixisti Apostolis tuis,* etc., quæ est ad pacem impetrandam. Hujusque omissionis ratio est, quia qui *in Domino moriuntur* non amplius sunt in turbatione hominum.

7.° In fine Missæ, Populus dimittitur absque Benedictione. Et hoc fit duabus præsertim rationibus: 1.° quia, cum Missa de *Requiem* principaliter rinetur ad levamen Defunctorum qui in Purgatorio detinentur, non est

cur sacerdos ad populum se vertat, quia populus, in casu, habetur tamquam objectum secundarium et accidentale. 2.° Quia, per Orationem *Requiem æternam*, etc., et subsequens signum crucis, ipsis Defunctis benedictio adprecatur. Ex hoc fit quod, dicto *Placeat*, etc. et osculato altari cum signo crucis, immediate progreditur ad ultimi Evangelii recitationem.

II. Quoad mutanda, ad quatuor sequentia reducuntur.

1.° *Ingressa* incipiendo, Celebrans se non signat, sed, sinistra super altare posita, *juxta Rubr. et S. R. C. decr. 7 sept.* 1816 *ad* 42, quasi benedicens defunctum, vel defunctos, pro quibus sacrificium offert, dextera extensa versus librum, non autem eum tangens, signum crucis facit super eum.

2.° Post *Pax et Communicatio Domini nostri*, etc., loco *Offerte vobis pacem*, ter dicitur *Agnus Dei*, etc.

3.° Ad *Dominus vobiscum* qui ultimæ orationi subsequitur, Missæ inserviens, responsioni *Cum spiritu tuo*, non subdit *Kyrie eleison:* et sacerdos, loco versiculorum quæ Benedictionem præcedunt, dicit *Requiem æternam dona eis, Domine*, et Missam concludit illis verbis: *Animæ omnium fidelium Defunctorum* etc. *requiescant in pace.*

4.° Quando in Canone, aut alibi, in Missa de *Requiem* nominatur Sanctus cujus illa die fit officium, aut commemoratio, caput a celebrante non est inclinandum, *juxta decr.* 12 *apr.* 1823 *ad* 13, quia Missa de *Requiem* nihil habet commune cum officio diei.

Ad Secundum. — An liceat Communionem distribuere, tam intra, quam extra Missam cum paramentis nigris?

Difficilem, pluries exagitatam et nondum solutam quæstionem de Communione cum paramentis nigris, paucis putamus expediendam. Et revera = Quid quid sit de antiquo decr. 14 julii 1688, in quo S. R. C. declarabat, *non esse contra ritum* Communionem ministrare in Missa de *Requiem* cum paramentis nigris, et etiam extra Missam, in subsequentibus declarationibus non semel prohibuit dare Communionem in Missa de *Requiem*, sive tempore celebrationis, sive post celebrationem, finito scilicet Evangelio S. Joannis, uti in una Congregationis Montis Coronæ 22 *jan.* 1701, et in alia Ordinis Capuccinorum 21 *jul.* 1710.

Reproposito autem dubio, in Aquensi 2 sept. 1741, responsum fuit *Non posse ministrari per modum Sacramenti, extrahendo Pixidem a custodia, sed tantum per modum sacrificii, nempe cum Particulis in eadem Missa consecratis*. Contentio tamen hic non constitit; et sæpe adhuc quæstio exorta est, an in Missa de *Requiem* cum paramentis nigris celebrata, ministrari possit Eucharistia cum Particulis præconsecratis: et hoc maxime quia, in operibus Ferdinandi Tetami, supradictum decretum habetur ut apocriphum, et Joseph Dini apostolicarum cæremoniarum magister, sententiæ innixus Benedicti XIV, in suo opere *De Sacrificio Missæ*, respondit affirmative. Ad omne ergo scrupulum hac de re tollendum, iterum quæsitum fuit *An pro certa tenenda sit sententia affirmativa Benedicti XIV et Tetami, vel decretum* 2 *sept.* 1741. Et S. R. C. in Panormitana, *sub die* 12 *Apr.* 1823, respondendum censuit, *Dilata*. Eadem responsio, nempe *Dilata*, novissime repetita fuit in decr. 27 *sept.* 1837, post decretum communionis prohibitivum *sub die* 23 *maji* 1835.

Sacrorum ergo Rituum Congregatio nihil usque adhuc definivit, sed satius duxit judicium differre et maturiori examini rem subjicere, tum quia summæ auctoritatis scriptores, et ipse Benedictus XIV, quem decretum anni 1741 certe latere nequibat, pluribus innixi, et quidem non despiciendis, rationibus, contrariam tuentur sententiam; tum quia non eadem est apud omnes ecclesias et sacerdotes consuetudo. Unde res inter utrumque magis magisque versatur, et probabilius pro Benedicto et Tetamo devicta manet.

Nisi ergo novum prodeat decretum, saltem ubi viget consuetudo, uti fere ubique in nostra Diœcesi, Communio in Missis Defunctorum, intra Missam cum Particulis præconsecratis, in paramentis nigris potest ministrari.

An vero hoc liceat etiam extra Missam, Romani Ritus Liturgistæ conveniunt omnes in negativam sententiam. Notare tamen liceat, in ritu ambrosiano non valere rationem quæ negativam sententiam in romano ritu tuetur. Ratio est, quod post communionis distributionem, vel ante, vel post Missam, semper impartienda est populo benedictio. Et cum hæc prohibeatur in missa cum paramentis nigris celebrata, a fortiori licere non potest extra eam. Jam modo, in ambrosiano ritu nullius valoris est ista ratio; nam in omnibus feriis Quadragesimæ et triduo Litaniarum, numquam omittitur benedictio in Missa, etiamsi in paramentis nigris de præcepto celebretur.

Attamen, cum nulla vigeat apud nos consuetudo communionem extra Missam distribuendi in paramentis nigris, tutius semper erit se ab ea abstinere, quia in re liturgica nemini licet aliquid, etiam minimum, marte proprio innovare.

Quæstio VI.

Quando polluatur aut violetur sive Ecclesia, sive Oratorium? Et An liceat aliquando Missam interrumpere, vel abrumpere, vel relinquere imperfectam?

Ad Primum. = Quando polluatur aut violetur sive Ecclesia, sive Oratorium?

Ecclesia, sive Oratorium, dummodo sit publicum, non polluitur nisi quatuor in casibus; et sunt qui sequuntur.

1.° Per voluntarium et injustum homicidium, sive respectu sui, sive respectu alterius, quamvis sanguis non effundatur, veluti si quis suspendatur, vel aliter violenter et cum injuria occidatur, absque ulla sanguinis effusione: et hoc, etiamsi homicidii causa extra ecclesiam ponatur, uti in casu quo aliquis extra ecclesiam existens sclopo occidat alterum in ecclesia existentem. Ratio est quia, si crimen, in casu, extra ecclesiam committitur, in ecclesia tamen consummatur.

2.° Per copiosam humani sanguinis effusionem ex percussione aut vulnere graviter injurioso. Et hoc, etiamsi vulnus grave fiat intra ecclesiam, et sanguis fundatur extra; non autem econtra, scilicet, si vulnus infligatur extra, et sanguinis effusio, vel etiam mors, eveniat intra; quia, in hoc casu, injuriosus actus non fuit in ecclesia, nec inceptus, nec consummatus.

Relate ad copiosam sanguinis effusionem, notandum est quod, nisi conjun-

gatur cum actu graviter injurioso, per ipsam non censetur polluta ecclesia, uti esset in casu quo, per rixam puerorum, copiosus sanguis e naribus effluerct, quia in hoc communiter non admittitur grave peccatum.

3.° Per voluntariam et criminosam humani seminis effusionem, sive in copula carnali, sive extra copulam, et etiam per actum conjugalem nulla necessitate excusabilem.

4.° Per sepulturam hominis infidelis, scilicet non baptizati, aut hæretici declarati, aut excommunicati vitandi. Inter infideles tamen, juxta probabiliorem sententiam, non sunt adnumerandi cathecumeni: quia, si carent Baptismo, non carent fide; immo, in casu, baptizati jam reputantur baptismate desiderii.

Ut autem Ecclesia aut Oratorium vere polluatur, duo necessario requiruntur.

1.° Ut crimen Ecclesiæ pollutivum vere in Ecclesia perpetretur, non vero in turri, in tecto, in sacristia, aliisque cameris Ecclesiæ adhærentibus, neque in subterraneis, nisi ea sint singulariter benedicta, uti ex se declararetur si in iisdem adesset Sepultura, aut Oratorium.

2.° Ut crimen in Ecclesia perpetratum notorium dici possit. Ablato enim scandalo, non amplus extat reconciliationis necessitas; quia hæc non ad aliud præcepta fuit, nisi ad infundendum in fidelium animis horrorem et detestationem quo sunt specialiter prosequenda crimina in ecclesia commissa.

Nec erit extra rem adnotare quod, ecclesia semel polluta, ad sacros usus inepta existit, nisi prius fuerit reconciliata per sacerdotem ab Episcopo delegatum, si Ecclesia fuerit tantum *benedicta;* per ipsum Episcopum, aut per sacerdotem a Papa ad hoc delegatum, sed adhibentem aquam ab Episcopo benedictam, si Ecclesia fuerit *consecrata.* In nostra tamen diœcesi, uti videre est in nostro Rituali, *De Reconciliatione Ecclesiæ,* facta est Archiepiscopo facultas simplicem sacerdotem delegandi ad reconciliandam, in casu pollutionis, Ecclesiam consecratam, dummodo ipse aquam adhibeat ab Episcopo benedictam.

Quod hucusque dictum est de pollutione et reconciliatione Ecclesiæ stricte tali, sub quo nomine venit etiam publicum Oratorium, valet etiam pro Cœmeterio, non autem pro Oratorio privato; nam, privata Oratoria, licet benedicta et ad divinum cultum deputata, non censentur pollui, et ideo non indigent reconciliatione, ut communiter docent Collet, Gousset, Gatticus in opere *De Oratoriis domesticis,* Ferraris in *Bibliotheca,* d. Liguori in *Opere Morali* l. VI, n. 362, Bened. XIV, in Constit. *Cum duo,* etc.

Violatio, etsi a multis unum et idem habeatur ac pollutio, a pollutione tamen distingui potest, eam definiendo: Ecclesiæ profanatio per quodcumque publicum peccaminosum actum, qui, etiamsi in jure non consideretur tamquam Ecclesiæ pollutivum, graviter tamen est læsivum illius reverentiæ quæ loco sancto semper debetur.

Ex allatis tum *pollutionis,* tum *violationis* definitionibus, nemo est cui evidenter non sit compertum quando polluatur, aut violetur, sive Ecclesia, sive Oratorium.

Ad Secundum. An liceat aliquando missam interrumpere vel abrumpere, vel relinquere imperfectam?

Supposito quod *interrumpere* idem valeat ac aliquam ponere moram

inter unam et alteram missæ partem, absque ejus integritatis præjudicio: per *abrumpere* intelligatur vel inceptam missam ante Consecrationem obtruncare, vel aliquam missæ partem, non omnino necessariam, post Consecrationem omittere: et missam *relinquere imperfectam* non aliud sonet quam missæ partem omittere quæ ad sacrificii integritatem ita est necessaria ut numquam ex proposito omitti possit, quæstioni nobis propositæ, an unum, vel alterum, vel postremum, aliquando liceat, *affirmative* non ambigimus respondere, juxta casuum diversitatem qui in Missa accidere possunt. Et revera.

I. Missam interrumpere pluribus licet in casibus, sive tantum ante Canonem, sive quocumque Missæ tempore.

Ante Canonem 1° Quando in Missa sit habenda vel Collatio Ordinum, vel Professio Religiosa, vel Concio, vel Edictorum promulgatio post Evangelium, non autem alio loco, vel Oblatio suscipienda ad Offertorium. 2.° Quando Princeps, Episcopus, Cardinalis, vel Processio populi, vel turba peregrinorum superveniat in die festo, qui alias missam non audirent.

Quocumque Missæ tempore: Missam interrumpere licet quando necessitas occurrat ministrandi moribundo vel Baptismum, vel Pœnitentiam: idem dic de Extrema Unctione iis ministranda quibus, ob phrenesim, aliamque causam, defectu Confessionis, absolutio non nisi dubia dari potuit. Urgens enim necessitas saluti proximi providendi, præcepto sacrificii continuandi semper debet prævalere. Hoc est dicendum etiam de corporali Celebrantis ipsius gravissima necessitate, juxta illud Christi adagium = Non homo propter sabbatum, sed sabbatum propter hominem. = Attamen, si hoc acciderit post Consecrationem, et in celebrationis altari adsit tabernaculum, consecratæ species in eo recondi debent, ut reverentiæ qua semper est prosequenda Eucharistia, toto tempore sacerdotis absentiæ, cautius consulatur.

II. Missam abrumpere tribus in casibus licet ante Consecrationem; unico vero in casu post Consecrationem.

Ante Consecrationem 1.° Quando sacerdos meminerit alicujus impedimenti semetipsum afficientis, scilicet se esse vel non jejunum, vel non in gratia, vel aliqua censura irretitum, et missa possit suspendi absque scandalo, aut gravi nota: nec non quando per aliqualem physicam indispositionem celebrans prævideat se non posse Missam perficere. 2.° Quando excommunicatus non toleratus præsumat interesse, nec possit expelli. 3.° Quando crimen in Ecclesia perpetretur per quod ipsa evadat polluta.

Post Consecrationem, Unico in casu, idest quando, absque vitæ periculo, reliquam missæ partem tuto non possit expleri, præter sacrarum specierum consummationem, quæ, si vix fieri potest, numquam est omittenda.

III. Missam relinquere imperfectam, quod evenire non potest nisi omittendo oblati vini consecrationem post panis peractam transubstantiationem, etiamsi numquam liceat directe, indirecte tamen et per accidens, aliquando licet, in casu scilicet quo incendium, vel inundatio, vel hostis irrueret, vel Ecclesia ipsa corrueret. In conspectu enim vitæ periculi, vere imminentis, sacerdos posset consecratam hostiam statim sumere, et abire cum calice non consecrato, quia, hisce in casibus, non est sacerdos qui marte proprio mutilat sacrificium, sed est necessitas quæ non sinit ut sacerdos sacrificium perficiat: sicuti esset in casu quo secundæ consecrationis mate-

ria omnino deficeret, vel celebranti subitanea morte correpto, nullus alter sacerdos substitui posset qui imperfectam missam ad complementum perducat.

Quæstio VII.

Qualis Missa sit Solemnis, *qualis* Cantata, *quæ* Conventualis, *quæ* Privata? *Et*

Quæ ab Acolytho præstari nequeant sacerdoti etiam dignitate præeminenti in privatæ missæ celebratione?

Ad Primum. = Qualis Missa sit Solemnis, qualis Cantata, quæ Conventualis, quæ Privata?

Solemnis dicitur illa Missa quæ apparatissima pompa conficitur, omnemque habet solemnitatem non tantum cantus et thuris, sed etiam paratorum ministrorum, omniumque cæremoniarum quæ in casu a Rubricis præscribuntur. Huic missæ reducitur illa quæ olim *Aurea* dicebatur, ad illam significandam missam quæ, Clero et Populo totius civitatis convenientibus, certis tantummodo circumstantiis, magnificentia singularissima celebrabatur.

Cantata, quæ dicitur etiam *Media*, illa est quæ solemnis et privatæ ritibus simul participat, quia, ad modum solemnis, distinctionem habet cantus, luminum et clericorum missæ inservientium, numquam vero thuris, nam in missis sine ministris thurificatio absolute prohibetur, *ex decr. N.* 3575, *sub die* 22 *Jan.* 1701: ad instar autem missæ privatæ, sine paratis ministris absolvitur.

Conventualis est illa quæ, juxta diei officium, solemniter et de præcepto, post Tertiam, in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, quotidie celebratur; et cum aliquali tantum, vel campanarum, vel luminum, vel famulatus, non vero ministrorum, distinctione, vel quotidie, vel certis tantum diebus, ex Instituti vel loci constitutione aut consuetudine, in conventualibus et parochialibus ecclesiis, vel cantatur, vel legitur. Ideoque hæc Missa, juxta modum vel locum quo celebratur, merito dicitur etiam vel *Capitularis*, vel *Parochialis*, vel *Solemnis*, vel *Dominica*, vel *Alta*, vel *Publica*, vel *Communis*, et idem est ac illa quæ a Walfrido Strabone *Legitima*, ab Amalario vero *Generalis* vocatur.

Ex allata Conventualis Missæ definitione facile est inferre, distinctiones ipsi competentes a loci vel functionis qualitate, numquam vero a personæ dignitate, propriam sumere rationem. Parochus enim, aut Canonicus, in collegiata, vel parochiali, vel conventuali ecclesia, missam celebrans, falso diceretur conventualiter celebrare, nisi illam missam ipse perficeret quæ, vel Capituli, aut Communitatis ratione, vel ex Ecclesiæ præcepto, illis diebus omittere non liceret.

Privata, seu *Bassa*, quæ ab aliquibus dicta est etiam vel *Secreta*, vel *Peculiaris*, vel *Singularis*, vel *Familiaris*, illa est quæ sine ulla nec ministrorum, nec inservientium, nec apparatus, nec cantus, nec luminum, distinctione, et unico tantum famulante clerico, sive in Ecclesia, sive in Oratorio etiam privato, celebratur.

Ad Secundum = Quæ ab Acolythio præstari nequeant sacerdoti etiam dignitate præeminenti in privatæ missæ celebratione.

Pluries, et præsertim per decreta 12 Jul. 1612, N. 457 *In una Cremonensi.* = 7 Aug. 1627, N. 699 *Castri Durantis.* = 18 Aug. 1629, N. 830 *In una Mediol.* = 7 Sept. 1816, N. 4528 *In una Tudensi ad Dub.* 11. 28 Apr. 1818, N. 4545 *De Privilegiis Pronotariorum, etc.* Sacra Rituum Congregatio in genere declaravit quod Canonici, Dignitates, Abbates, Prælati, Protonotarii Apostolici, Vicarii Generales, aliique omnes qui, etsi dignitate vel officio cæteris præemineant, non episcopali, sed sacerdotali tantum ordine, sunt instructi, in eorum privatæ missæ celebratione, a quolibet simplici sacerdote in nihilo discrepare possunt. Hinc, ad singulares casus deveniens istorum presbyterorum Sacrum privatim operantium, expresse statuit:

1. Quod duobus tantum cereis in altari accensis, et unico tantum ministro, qui missæ inserviat, debeant esse contenti.

2. Quod pectoralem crucem, annulum, pileolum, canonem, palmatoriam, non audeant adhibere, nec vestes de altari sumere, nec in argenteis urceolis, aut argentea adhibita pelvi, aquam et vinum sibi facere ministrare.

3. Quod, per seipsos, numquam vero per alterius manus, ipsi debeant calicem deferre, detegere, abstergere, cooperire; missale aperire et claudere; ejusque folia in missa evolvere, omnesque alios missæ ritus, juxta Rubricas, explere.

Ejusdem tenoris dispositio extat etiam, *sub Rubr. Decr.* 53, in Synodo Diœcesana Mediolanensi XXXVI, habita anno 1670.

Acolythus ergo qui sacerdotis, etiam dignitate præeminentis, privatæ missæ inservire debet, sub oculis semper habeat quæ suo celebranti, per superius allatas declarationes, vel omnino vetantur, vel tamquam ab ipso exclusive facienda, expresse præcipiuntur, et magistraliter sciet omnia quæ ab ipso præstari nequeunt in ejusdem privatæ missæ celebratione.

Quæstio VIII.

Quando et quomodo caput inclinandum, vel etiam genuflectendum, a sacerdote in ingressu ad Altare?

Et. quæ addenda, vel mutanda in Missa coram SS. Sacramento exposito?

Ad Primum. = Quando et quomodo caput inclinandum, vel etiam genuflectendum, a sacerdote in ingressu ad altare?

Sacerdos missam celebraturus, in suo ingressu ad altare, duobus in locis est considerandus, scilicet in Sacristia, et in Ecclesia.

I. In Sacristia. Antequam ab ea exeat, capite cooperto, cruci, vel imagini, capite tantummodo reverentiam facere debet, vel profundam, vel mediam, vel parvam: *profundam* si fiat Cruci; *mediam*, si loco crucis, adsit Imago B. M. V.; *parvam* si habeatur solummodo imago alicujus Sancti. Si autem, per abusum, nulla in conspectu sacerdotis exeuntis, posita est vel Crux, vel Imago, nulla etiam facienda est reverentia.

II. In Ecclesia = Reverentiæ, seu inclinationes et genuflexiones, quæ a sacerdote, in casu, fieri debent, quadrupliciter distingui possunt, ratione scilicet vel Altaris, vel SS. Sacramenti, vel Reliquiæ, vel Personæ.

1. *Ratione Altaris* = Altari majori, nec non altari specialis reverentiæ et devotionis, profunda debetur capitis inclinatio = Cæteris vero, per se loquendo, nulla facienda est reverentia. Nec aliter faciendum est si missa quæ in altari celebratur sit vel ante Consecrationem, vel post Communionem.

2. *Ratione SS. Sacramenti.* Si ipsum clausum extet in tabernaculo, vel celebranti tantum pateat a Consecratione ad Communionem, unico genu est flectendum. = Ambobus vero genibus facienda est reverentia, si SS. Sacramentum populo pateat 1. pro actu Consecrationis et sacrarum specierum Elevatione; 2. pro Communionis distributione; 3. pro publica Eucharistiæ in altari Expositione; 4. in casu quo transeatur in conspectu alterius sacerdotis SS. Sacramentum deferentis. = Notandum vero quod, in casu Communionis, sacerdos non debet genuflexus permanere donec terminetur distributio, sed, post genuflexionem, potest mox surgere et procedere, *juxta Decr. S. R. C.* 5 *Julii* 1698 *ad* 19.

3. *Ratione Reliquiæ* = Reliquiæ S. Crucis, et aliorum Passionis Instrumentorum debetur genuflxtio, si ipsa in medio altaris sit exposita; profunda tantum capitis inclinatio, si in tabernaculo dignoscatur recondita. = Reliquiæ vero cujuscumque Sancti parva debetur capitis inclinatio, dummodo in illa duo simul concurrant, 1. quod Reliquia sit insignis, 2. quod in loco principali altaris ipsa sit exposita.

4. *Ratione Personæ* = Sacerdos, etiam salutatus, neminem, quisquis sit, salutare potest, nisi transeat ante Prælatos aut Principes, quibus, dummodo non sit expositum SS. Sacramentum, caput coopertum inclinat, plus minusve, prout eorum dignitas postulat.

Duo hic occurrunt notanda: 1. quod, ante Duces, Magistratus et Dominos loci, etiamsi, per se, non debeatur, caput inclinari potest, si talis sit consuetudo; nam, extra Missam id non videtur prohibitum, *juxta Decr.* 9 *Dec.* 1702, *N.* 3636, in quo, si negative responsum fuit relate ad thurificationem et pacem dandam Ducissæ Casalacalendæ et Mariæ Caraffa Lirini principi, hoc factum est quia agebatur 1 de muliere, 2. in actu missæ. Neminem enim latet, quod, inter Missarum et Vesperarum solemnia, thuris et pacis honores mulieribus omnino prohibentur *ex Decr.* 503, 3 *Juniis* 1617. = 2. quod sacerdos celebraturus, occurrens sacerdoti ab altari redeunti, debet illi locum cedere, non vero caput inclinare.

Ad Secundum = Quæ addenda et quæ mutanda in Missa coram SS. Sacramento exposito?

I. Addenda in Missa coram SS. Sacramento exposito ad duo reduci possunt, scilicet ad Commemorationem SS. Sacramenti, et ad Genuflexiones quæ eidem debentur.

1. *Commemoratio SS. Sacramenti* = Quoties missa non sit, nec de SS. Sacramento, nec de SS. Jesu Corde, nunquam est obliviscendum Decr. sub die 16 Feb. 1737, in quo, relate ad hoc, S. R. C., non solum præceptum exposuit, sed modum etiam quo illud est adimplendum clarissime determinavit. « Dum SS. Sacramentum est patenter expositum, in omnibus » missis facienda est commemoratio de eodem post omnes alias comme- » morationes de præcepto = In missis tamen solemnibus festorum 1.ª et » 2.ª classis fit sub unica conclusione. »

2. *Genuflexiones quæ eidem debentur.* = Abstractione facta a genufle-

xionibus quæ, juxta Missæ Rubricas, debentur SS. Sacramento in tabernaculo recondito, nec non ab illis quæ missæ celebrationi semper inhærent, genuflexiones quæ, ratione SS. Sacramenti in altari expositi, in qualibet missa coram eo celebrata, semper debentur, ad triginta ascendunt in ritu romano, ad duo et viginti contrahuntur in ambrosiano. Hæc autem differentia ex hoc procedit, quod romani tantum est ritus quater in omni missa se vertere ad populum ante Benedictionem, ter scilicet pro *Dominus vobiscum*, semel pro *Orate Fratres* populo dirigendis.

Ut hæ genuflexiones recte fiant, sequentes regulæ, ex Instructione Clementina § 30, *et decr. S. R. C. sub die* 12 *Nov.* 1831, fideliter depromptis, semper sub oculis sunt habendæ.

1. Sacerdos tam perveniens ad altare missam celebraturus, quam ab altari discedens, missa celebrata, genuflectere debet cum capitis inclinatione, in capellæ plano, ante infimum altaris gradum.

2. Prima sacerdotis actio ad medium altaris, et ultima in descensu, semper debet esse genuflexio.

3. Quandocumque sacerdos accedit ad medium altaris, vel recedit a medio, vel transit per medium, semper genuflectit, etiamsi modo sit inclinatus, aut mox se debeat inclinare, vel osculum altaris ab eo sit faciendum.

4. Quotiescumque sacerdos se vertit ad populum, genuflectit non solum ante quam se vertat, verum etiam postquam sit reversus.

5. Cum, peracta Confessione, sacerdos ascendit ad altare, non amplius genuflectit in plano, sed tantum in ipso accessu ad altare, ante orationem *Oramus te, Domine*.

6. Quotiescumque inter accessum ad medium altaris et recessum ab eo habetur aliqua mora, sive pro calice in medio altaris accommodando ante missalis aperitionem, sive pro dicendis orationibus *Oramus te, Domine*, = *Munda cor meum* = *Placeat tibi, Sancta Trinitas*, semper est genuflectendum tam antea, quam postea.

7. Quando inter accessum et recessum mora est brevissima, semel tantum est genuflectendum; ideoque, in fine Missæ, quando sacerdos ad medium altaris accedit ut calicem sacristiæ restituendum accipiat, semel tantum genuflectere debet, scilicet antequam calicem accipiat, non vero postquam cum acceperit.

8. Quando sacerdos, post osculum altaris, vertere se debet ad populum, altaris osculum semper debet genuflexionem præcedere.

Mutanda vero ad hæc reducuntur.

1. Sacerdos accedens ad altare capite cooperto, juxta Rubricas, caput detegit, et biretum ministro porrigit, non ante infimum altaris gradum, sed ad capellæ cancellos, idest, statim ac venerit in conspectu SS. Sacramenti expositi.

2. Omnes Oculorum Elevationes et Capitis Inclinationes quæ, de more, ad crucem diriguntur, etiam infra Evangelium, ad SS. Sacramentum, tamquam obiectum dignius, sunt dirigendæ.

3. *Ad Verbum caro factum est* in Evangelio S. Joannis, nec non quotiescumque est genuflectendum, sive in cornu Evangelii, sive in cornu Epistolæ, sacerdos genuflectere semper debet versus SS. Sacramentum, non autem versum librum.

4. Sacerdos semper cavere debet ne unquam SS. Sacramento terga ver-

tat. Ideoque, se vertens ad populum, aut descendens ab altari, se aliquantulum retrahit a medio altaris versus cornu Evangelii, et se vertit, aut descendit, humeris versis ad cornu Evangelii, et facie versa ad cornu Epistolæ.

5. In fine Missæ, post verba *Benedicat vos omnipotens Deus*, sacerdos caput non inclinat, sed genuflectit.

6. Ad Benedictionem, Sacerdos non perficit circulum, sed, prolatis verbis *Spiritus Sanctus*, ad altare revertitur per eandem viam qua ad populum est conversus; sed, non ad medium altaris, neque iterum genuflectendo, sed immediate transiendo ad cornu Evangeliii, ubi ultimum Evangelium legere debet.

7. In fine Missæ, peracta genuflexione, cum capitis inclinatione, in plano capellæ ante infimum gradum, sacerdos bireto non tegit caput, nisi quando fuerit ad capellæ cancellos, in actu se retrahendi e conspectu SS. Sacramenti.

8. Si, ex rationabili causa, ad altare expositionis, distribuenda est Communio, vel intra, vel extra missam, tam pro dicendo versus populum *Agnus Dei*, quam pro danda populo Benedictione, sacerdos se sistit, non in medio altaris, sed aliquantulum retractus ad cornu Evangelii. Dum vero fit Eucharistiæ distributio, sacerdos quasi obliviscitur expositionis quæ in altari locum habet, et solummodo attendit ad Sacramentum quod præ manibus tenet.

Notandum denique quod, si romano more celebretur, prima, secunda, et ultima genuflexio, quæ fieri debent in plano capellæ ante infimum altaris gradum, non unico genu, sed ambobus genibus semper erunt faciendæ.

Quæstio IX.

Quotuplex est Inclinatio? Et quid notandum circa Inclinationes, Benedictiones, et ritus Manuum et Oculorum in Missa?

Ad Primum. — Quotuplex est Inclinatio?

Inclinatio generice sumpta duplex est, *Corporis* scilicet et *Capitis*. In specie autem considerata, subdividitur in *profundam* et *mediocrem* quoad inclinationem Corporis; in *profunda*, *media*, et *parva* quoad inclinationem Capitis.

In Inclinatione Corporis. 1. *Profunda* est illa qua medietas corporis totaliter est inclinata, ita ut, brachiis cancellatis, cum extremitate digitorum tangi possit utrumque genu. 2. *Mediocris* illa est quæ fit capitis et humerorum modica inclinatione. Ut vero utraque decenter fiat, pedes, medio circiter passu, ab antipondio sunt amovendi.

In Inclinatione Capitis. 1. *Profunda* illa est quæ fit magna capitis depressione, quæ secum trahit aliquam etiam humerorum inclinationem. 2. *Media* est ea quæ fit notabili tantum capitis depressione. 3. *Parva* illa dicitur quæ fit capitis depressione tantum levi.

In Inclinationibus est considerandum quod *Profunda* correspondet cultui Latriæ, et Deo tantum præbetur, scilicet vel ejus Nomini, vel verbis quæ Deum respiciunt, uti *Adoramus*, *Gratias agimus*, *Suscipe deprecationem nostram*, etc. *Media* respondet cultui Hyperduliæ, et dirigitur ad solam B. V. Mariam. *Parva* correspondet cultui Duliæ: eaque reverentur tam

